



Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. XLV. Sponsalium. Ostenditur, quanto in pretio apud Germanos Nobiles sit aptitudo ad Canonicatus Cathedralis: hæc si periclitetur, rationabilem causam habent Parentes obsistendi Sponsalibus ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72287](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72287)

Da intra tempus debitum, h. e. quadriennium instituiret werden, quod quadriennium juxta Oddum de Restit. in integr. p. 1. q. 20. n. 31.

incipit currere statim à die perfectæ læsionis; consequenter à die initi Contractus, daß also, wann schon vor dreym Jahren die Stadt A. ihr Pfand reclamiret haben, dann noch die von denen Legibus, und Canonibus bestimmte Zeit verlossen alsdann gewesen, massen quaestionirter Contractus schon Anno 1708. geschlossen worden, also bis auf würckliche Reclamation ganze 10. Jahr entzwischen gangen. Weiters ist nicht genug, daß intra tempus legitimum die Aufkündigung geschehe, sondern es muß Restitutio in integrum inner solcher Zeit würcklich begehret werden, so abermahl nicht alsdann, sondern ererst vergangenes Jahr geschehen.

36. Es ist zwar wahr, das derley Communitates perfectæ, so durch Administratores regiret werden, auß gewissen Ursachen, auch lapsu quadriennio, ad restitutionem in integrum provociren können; es findet sich aber kein solche legitima Causa, Krafft welcher dieses Beneficium eine Stadt A. genieß-

sen könne. Unter denen Ursachen indulgenti Restitutionem post quadriennium wird von denen DD. gezelet, si damnum eminentissimum, & læsio enormissima sit.

C. ad nostram. 11. de reb. Eccl. non alien. aber solche læsio ist allhier nicht findlich, und so es auch findlich wäre, hätte ein Gemeine Stadt diesem Privilegio schon vor längst renunciiret, nicht allein, da selbe vermög instrumenti Obligationis all ihr zustehenden Privilegien, und expresse læsionis ultra dimidium sich begeben, sondern auch, wann anderst ihr Vorgeben sich also befindet, da gleich nach getroffenen Contract hierwider die Burgerschaft gemurret, und nicht wenig sich hervor gethan, so ein weit mehrers, ja noch sovil pro pretio Locationis Conductionis offeriret haben; dann auf solche Offerten hätte Burgermeister und Rath die befehene Læsionem ganz laut vermehren können: da sie also auf dieses wider den Hospital nichts moviret, noch ad Beneficium Restitutionis in integrum provociret haben, kan anderes nicht geschlossen werden, als daß sie den Contract approbiret, und des besagten Beneficii sich haben verzeihen wollen.

CONSILIUM XLV.

In Causa Sponsalium.

SUMMARIUM.

1. seqq. Facti Species.
5. Sponsalia invitis rationabiliter Parentibus illicitè ineuntur.
6. Sunt tamen valida, si promittatur Matrimonium pro illis circumstantiis, in quibus hoc licitè contrahi potest.
7. Sponsalia Quaestionis fuerunt valida, sed implicitè conditionata.
8. 10. Metus magnorum scandalorum est causa resiliendi à Sponsalibus:
9. Si nulla spes sit ejusmodi mala avertendi.
11. seqq. Non tenentur Parentes consensum prestare Matrimonio Filii, quod absque gravi scandalo iniri non potest.
14. seqq. Si tam ex negato, quam ex praestito consensu timeantur mala, eligendum est malum minus.
17. Sponsus resiliere volens, conveniendus est coram Episcopo loci Contractus, si ibi invenitur: secus coram Episcopo Domicilii.
19. 28. Parentes non debent impedire Filios à Matrimonio purè promisso: scilicet nisi habeant rationabilem causam.
20. 29. Defectus Nobilitatis, qua ad plerisque Canonatus Cathedrales Germania requiritur, est causa sufficiens resiliendi à Sponsalibus.
21. 30. Licet non inuratur Familia per tales Nuptias macula positiva: tamen Familia privatur ornamento valde estimabili.
22. 31. In ejusmodi Nuptiis Res agitur totius Familiae.
23. 32. Et prudenter inde timeantur magna mala.
24. 33. Nuda intentiones in Contractibus non attenduntur, nisi exprimantur: praesumitur quis tamen in intentione sua manere, si absque illa licitè non potest contrahere.
25. 34. Ex negato consensu Matris sequuntur aliqua damna, sed tamen respectivè minima.
26. 35. Tenetur Filius obedire Parentibus etiam quoad Nuptias determinata Personæ, rationabiliter praecipientibus.
27. 36. In dubio Sponsalium de futuro, standum est potius contra Sponsalia.
37. seqq. Afferuntur argumenta pro valore obligatione Sponsalium.
42. Deciditur contra valorem Sponsalium.
43. Incapacitas ad Canonatus Cathedrales est Parentibus causa sufficiens dissentendi.
44. Illicitè contrahit Filius Sponsalia, invitis rationabiliter Parentibus.
45. Promissio Matrimonii illicitè contrahendi, est invalida.

46. *In dubio prasumitur, quod Filius consensus in Sponsalia alligaverit consensus parentum.*
 47. *In prasenti Casu Sponsalia contracta censentur sub conditione consensus Materni.*
 48. *seqq. Respondetur ad argumenta opposita.*
 53. *seqq. An Sponsalia ista, si per se essent valida, possint rescindi Auctoritate Judicis Ecclesiastici? Argumenta pro parte negativa.*
 60. 61. *Possunt rescindi; quia supervenit circumstantia, in qua nunquam fuissent inita.*
 62. *Gravis & rationabilis Parentum indignatio dat Filio causam resiliendi a Sponsalibus.*
 63. *Etiam inter plebejos causam rescindendi Sponsalia dat incapacitas Liberorum futurorum ad quadam officia.*
 65. *seqq. Respondetur ad Argumenta opposita.*
 73. *Ad rescindenda Sponsalia an requiratur Auctoritas Judicis?*
 74. *seqq. Sponsus in prasenti Casu resiliens ad nullam compensationem tenetur.*

FACTI SPECIES.

I.



Empronius Juvenis, ex Perillustri, & antiqua Prosapia, ad prasicipuos Cathedralium Ecclesiarum in Germania Canonicatus admittibili (Stiftmäsig) oriundus ante aliquot annos, dum in Aula Lotharingica versabatur, animum induxit ad Sponsalia de futuro contrahenda cum Bertha Virgine pariter Perillustri, prasicipui cujusdam in ea Aula Ministri Filia, virtute, ac pietate æquali cum Sempronio, stemmatis verò antiquitate longè inferiori, quòd ex ea Familia prognati nondum ad prasicipuos Canonicatus admitterentur, nicht Stiftmäsig. Cogitabat quidem Sempronius his suis Sponsalibus adjicere conditionem, si Domina Mater Vidua Illustrissima suum consensum dederit, quem etiam in patriam postliminio redux impetraturum se confidebat, non obstante antiqui Stemmatum inæqualitate, quam Sempronius sibi perspectam habuit. Sed ecce! cum tempus Sponsalibus de futuro actu ipso contrahendis advenit, conditionis de materno consensu addendæ oblitus, ipsa Sponsalia coram Perillustribus testibus cum Bertha init absque limitatione adjecta: imò hanc suam Promissionem in patriam reversus, quòd dictum consensum à Domina Matre, licet initio reluctantem inveniret, tandem se obtenturum crederet, repetiit per Literas, adjecta sponsione, quòd, quamprimum repetitò memoratus consensus Domine Matris, & Propinquorum secutus fuerit, procedere velit ad Matrimonium cum Bertha actu ipso contrahendum.

2.

Secus tamen, quam Sempronius speravit, contigit; nam ubi propositum suum iteratò Domine Matri insinuavit, consensumque illius petiit, constanter renuentem invenit, causantemque, nunquam se consensuram in has Nuptias, ex quibus descendentes nec capaces forent primorum Canonicatum in Ecclesiis Cathedralibus Germaniæ, nec sperare facile possent digna Familie sue Matrimonia. Ita seribit, & repetitò Domina Mater. Nec persuadere illam ad consensum præstandum potuit, quòd adhuc unum, eumque primogenitum filium habeat, à quo, quia Nuptias cum æquè antiquæ prosapie Sponsa meditatur, Descendentes sperari possent,

qui ratione sanguinis, & Familie maternæ nullum impedimentum haberent, quin prasicipuos Canonicatus suo tempore obtinere possent; causabatur enim Domina Mater, hunc ipsum Filium suum primogenitum viribus longè debiliorem esse Sempronio, ac proinde exiguam spem per eum propagandæ Familie: & offerat illam etiam timor, ne iniustè per inæquale Fratris Sempronii Matrimonium Familie sue maculæ, etiam hic ipse Primogenitus minus competentem Sanguini suo Sponsam inveniat. Matri dissentienti ad stipulatur Sempronii Frater, ad stipulatur Consanguinei reliqui, qui futuris Conjugibus ex inæquali hoc Matrimonio emanantur subeundos tum à se, tum à Nobilitate Sueviæ, ubi Patriam Sempronius habet, contemptus, ac inde suboritur tristitia, dissensiones &c.

In hoc rerum articulo deprehensus Sempronius, cum videret perpetuæ apud Dominam Matrem, & Propinquos adversum se indignationis periculum, aliasque, & tantas intentioni sue opponi remoras, ut judicaret omnino, atque adhuc judicet, si hæc omnia ante contractum Sponsalium prævidisset, nunquam se stantibus tantis obstaculis, & positâ adeò gravi Domine Matris, quam hæc tenus tanquam obediens filius summe venerabatur, indignatione, consensurum fuisse in ista Sponsalia contrahenda, ut conscientie sue confuleret, aliorum quoque consilium in re ista adhibuit, qui plerique omnes judicaverunt, non obligari ipsum ad Sponsalia cum tanta sua difficultate, & in his circumstantiis adimplenda: quorum auctoritate confusus, Berthæ Sponsæ, ejusque Domino Parenti per Literas primò proposuit renitentiam, & indignationem Domine Matris, quâ stante ipsi tanquam obediens semper filio gravissimum esset, Matrimonium promissum contrahere; deinde ostendit, Theologorum etiam, & Canonistarum, quos super hac re consultasset, judicio se ad Sponsalia implenda cum tanta difficultate non obligari; denique declaravit, quòd Sponsam Bertham liberam esse velit à promissione facta, ita, ut ad Matrimonium, cum quocunque vellet, contrahendum adjicere animum ipsa, se non renuente, possit, vicissim verò etiam speret, se quoque pro libero ab obligatione Sponsalium contractorum habendum à Bertha, & ejus Domino Parente.

Spera-

4.

Sperabat Sempronius, nihil adversus voluntatem, ex tantis momentis declaratam, porro movendum: sed contrarium evenit; nam his non obstantibus Dominus Pater Sponsæ executionem Sponsalium, interpositis gravissimis minis negotii apud Aulam Lotharingicam urgendi, vindictæ in casu renitentia per cædes, & Sanguinem quærendæ &c. urgere perrexit, terminumque sex hebdomadarum poluit, intra quod tempus de liberare, & declarare sese Sempronius deberet, sibi que consulere, num promissioni stare, an verò contra niti, sibi que indignationem gravissimam dictæ Serenissimæ Aulæ inducere, & se (Patrem Berthæ) ad ultionem certò sumendam provocare vellet. Verum magis timens Dominae Matris, & Propinquorum, quam Sponsæ, Patrisque ejus indignationem Sempronius, perseveravit in priori sua voluntate, significavitque per literas, ex causis indicatis judicare se non obstringi Sponsalibus cum Berthâ initis, & cogitare de Contractu Sponsalium cum alia proximè ineundo. Hoc responso gravissimè indignatus Berthæ Pater, rescripsit, venturum se in Germaniam, & ostensurum Sempronio, cum quo ipsi res esset, si porro pergeret reniti, & contra fidem datam se, & Perillustrem Familiam suam coram toto mundo profuturum. *Ter in hac Causa Consilium Authoris exquisitum in Manuscriptis reperimus. Trinam igitur Deductionem Causæ distinctis temporibus datam, hic conjungere visum fuit. In eadem Causa consultus fuit Magnif. P. Franc. Schmier, cujus Responsum extraxit in Eiusdem Jurisprud. Practico-Consil. ad Lib. 4. Decretal. Conf. 77. ubi in fine allegat nostræ Authoris Deductionem Primam mox subjiciendam.*

DEDUCTIONIS PRIMÆ
QUÆSTIO I.

Num Sponsalia Sempronii ex defectu Materni Consensus sine valida?

5. Szaluppo-
Gca.

Certum est apud omnes, Sponsalia (uti & Matrimonium) rationabiliter invitatis Parentibus contracta, esse illicita; quia auctoritatem & voluntatem Parentum rationabilem in re tam gravi repudiare, sapit temeritatem, vel neglectum, aut contemptum illorum, quos DEUS honorare præcepit. Quoad valorem Sponsalium, invitatis rationabiliter Parentibus initorum, communiter distinguunt Doctores. Nam casu, quo intendunt inire Matrimonium etiam in iis circumstantiis, in quibus cum peccaminosa Parentum offensa etiam ipsum iniretur, Spon-

salia erunt invalida; quia ad impossibile, & inhonestum nemo potest obligari. Proceditque hoc, ut ne jurata quidem promissio subsistat.

C. quando. 18. de Jurejur.

Sed potius tunc fides data est rescindenda *juxta Can. in malis. §. caus. 22. q. 4.*

Sicut ergo promissio occidendi hominem, vel adulterandi non valet, ita nec promissio Matrimonii illicitè contrahendi.

Felic. Oliv. For. Eccl. p. 1. q. 29. n. 24.

Layman. l. §. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 14. Venim-

vero. Wex Ariadn. p. §. tr. 2. §. 3. n. 12.

& Ego ad Lib. 4. tit. 2. n. 81.

At si contrahentes Sponsalia cogitent Matrimonium tantum inire in illis circumstantiis, in quibus Parentibus invitatis, & contradicentibus licitè iniri Matrimonium potest, Sponsalia valent; quia tunc ex parte objecti promissi nihil obstat, quò minus robur habeat facta promissio. Quod extendendum etiam est ad eum Casum, quo promissio aliunde, quam ex parte objecti implendi forsitan fuit illicita, v.g. quia facta est ex inordinata passione &c. Adhuc enim valebunt Sponsalia, modò deinceps impleri queant sine permanente Parentum offensa, & aliis incommodis. Unde passim DD. praxi Ecclesiæ testantur receptum esse, ut Liberi adigantur ad implenda Sponsalia, etiam contra Parentum voluntatem inita, sive cum pari, sive cum dispari, modò in executione ipsa non violetur Justitia, Charitas, & Pietas Parentibus debita.

Felic. Oliva l. cit. n. 23. Laym. §. ter-

tio. Wex. n. 12. Ego n. 82.

Ex his patet ad Quæstionem Num. 5. propositam. DICENDUM enim Sponsalia Sempronii cum Berthâ inita, fuisse valida, non tamen absoluta, sed implicitè conditionata, sub conditione scilicet imbibita ex mente Sempronii, nisi Domina Mater rationabiliter contradicat. Sic enim & non aliter Sempronium voluisse Sponsalia contrahere, & se obligare ad Matrimonium cum Berthâ contrahendum, præsumere facit tum nota Ejustdem pietas, tum etiam factum Ipsius, dum statim ac in patriam rediit, propositum suum Dominae Matri detexit, & consensum ejus impetrare studuit. Ratio Rationis est, quia si dicantur sub tali conditione contracta Sponsalia, nihil iniqui continent, sed sunt promissio rei, quæ honestè, & licitè præstari poterat. Atqui promissio talis, si fiat à potente promittere, & adimplere promissum, valet, & obligationem inducit: ergò valebunt Sponsalia, sub tali conditione implicita inita, ita ut posito, quò Sempronius obtinere consensum maternum possit, ipse obligetur ad ea implenda.

3.

6.

7.
Deciditur
Quæstio.

101
Wex. ad
Wex. ad

QUÆSTIO IV.

*Num saltem Mater ad dan-
dum Consensum in Matrimonium Filii ob-
ligetur, si præviderit in Aula Lotharingica
graves motus, pertinacem Filii tri-
stittiam, lites contentio-
sas &c.*

14. **R**espondeo, hic considerandum, ex qua parte secutura timeantur graviora mala, minusque evitabilia; nam ex duobus minus est eligendum. Si Sempronius Matrimonium cum Bertha contrahat, sequitur gravis tristitia Dominae Matris; timeantur Dissensiones inter Agnatos; contemptus Conjugibus subeundi à Nobilitate; periculum, ne divulgatis Sempronii coëptis, etiam Frater ejus impediatur à competentibus sibi Nuptiis &c. Quæ mala omnia, si nulla graviora sequerentur ex Sponsalibus ruptis, sufficiens omnino causa existerent ad negandum Consensum, ut *Num. prac.* dixi.

15. Sed & gravia mala sunt, quæ timeantur ex negato Consensu Matris & dissolutis Sponsalibus. Nam 1. Timeri merito potest oritura inde gravis tristitia Filii ex ita impedito Matrimonio, quæ tristitia sæpè ad desperatas cogitationes sollicitat afflictorum animos. 2. Vix evitabitur lis movenda à Sponsa, quæ cum soleat diuturna esse, ea pendente impediatur Sempronius toto illo tempore, quo lis agitur, cum alia contrahere Matrimonium. 3. Cum videatur Sponsa in Aula Lotharingica esse in gratia, implorabit illa ab hac subsidium, atque ita potenter urgebitur Sponsalium executio, quæ si non fiat, sequetur gravis offensa.

16. Hæc igitur mala cum prioribus comparari debent, ut resolvatur Quæstio ista possit, & ubi mala minora, magisque evitabilia sunt, eò inclinandum. Mihi considerata Facti Specie, videntur minus æstimanda mala, quæ sequerentur ex negato Consensu. Nam 1. Ponitur Sempronius notæ Pietatis esse, nec quidquam æcturus, quod Dominam Matrem suam vel in minimo est offensurum. Quare si videat eandem rationabiliter se opponere meditati Nuptiis, hæc ipsa ejusdem Pietas præsumere facit, quod posturus sit brevi tristitiam ex Consensu negato conceptam, præsertim si aliæ Nuptiæ æquè acceptæ eidem offerantur. 2. Liti fortasse à Sponsa post consensum negatum intentandæ facile finis imponetur, si coram Tribunali Ecclesiastico probeatur rationabilitas causæ, ob quam petatur Sponsalium contractuum solutio. Præjudicium habeo in Casu Lucernensi, in quo ob solam disparitatem Sponsorum, & inde secutam Parentum Sponsi resistantiam Sponsalia Romæ dissoluta sunt, imposita tamen Sponso multa solvenda Sponsæ. 3. Aula Lotharingica facile acquiescet Sententiæ Judicis Ecclesiastici.

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

ci. Puto ergo his stantibus, adhuc rationabiliter Nuptiis meditati refragari Matrem, consequenter ad Consensum præstandum non obligari.

QUÆSTIO V.

Num Sponsus ad Judicem delatus debeat respondere Episcopo Gallo, aut cuiam Judici?

Videtur conveniri Sponsum posse coram Episcopo Gallo, cui subest locus, ubi Sponsalia celebravit. Nam quisque in eo loco, in quo contraxit, sortitur forum, ut ibi conveniri possit ratione ejusdem Contractus.

C. fin. de for. Compet. C. Romana. 1. §. Contrahentes. 3. eod. in 6. & l. hæres ab- sens. 19. §. proinde. 2. ff. de Judic.

Sed hoc intelligendum duntaxat est, si in loco Contractus inveniatur Reus conventus. Nam si absens sit, conveniri in loco Contractus non potest.

§. Contrahentes. & l. hæres. cit. princ.

Quare dicendum, Sponsum non posse trahi ad aliud Tribunal, nisi Episcopi, in cujus Territorio Domicilium habet.

DEDUCTIO SECUNDA.

In supra posito Casu plures consulti sunt Doctores, quorum Sententiæ in unum redactæ compendium, traditæ sunt Sempronio, & ab hoc in Lotharingiam missæ, ubi Dominus Parens Sponsæ, Authore incerto, cudi fecit Responsi, à dictis Doctoribus concepti, Refutationem. In hac Refutatione contendit Author iste, nullam adesse causam à Sponsalibus contractis resiliendi, consequenter Dominam Matrem imprudenter reniti contractui Matrimonii. Nititur his potissimum Argumentis.

Argumenta Adversariorum.

1. **S**ponsalia de futuro, purè inita, purè obligant utrumque contrahentem, & quidem sub peccato mortali, cum materia sit gravis, & per resiliationem alteri parit magna injuria inferatur, adeò, ut salva conscientia, sine gravi scandalo, & piaculo ad resiliendum induci Sponsi à nemine possint, vel debeant, etiam à Parentibus. Quamvis enim his tum Jure Divino, tum Naturali obedientia debeatur; si tamen illi in præcipiendo à Lege DEI recedant, & aliquid impedire velint, ad quod Liberi sub peccato tenentur, indubitanter, ut loquitur S. Bernardus, pergendum est in Petri Sententiam: quia oportet DEO magis obedire, quam homini. Atqui Sempronius cum Bertha contraxit Sponsalia de futuro purè, & nulla addita conditione, & quidem coram Testibus, omni exceptione majoribus. Igitur

Kkk 2

obligant

obligant absolute, & renitentia Dominae Matris, dum Filium Sempronium ad violationem fidei datae vult inducere, ab eodem Sempronio attendi non debet.

20.

2. Ratio Dominae Matris unica, vel saltem praecipua est, quia si Sempronius Bertham duceret, Liberi inde geniti non essent capaces primorum Canoniciatum in Germania. Haec autem ratio tanti aestimanda non est, ut propter eam Domina Mater censeretur possit prudenter invita, & ipsi Sempronio licentia dari a Sponsalibus discedendi. Nam licet futuris Liberis Canoniciatus praedicti non pateant, aliae tamen adhuc numerantur Ecclesiae, ut Coloniensis, Leodicensis, Augustana, Ratisbonensis, Frisingensis, Uratislaviensis, Olomucensis &c. in quibus Canoniciatus obtinere possunt.

21.

3. Sempronius in eundo Matrimonium cum Bertha, nullam inurit maculam Perillustri suae Familiae; quia adhuc par pari jungitur. Et esto, Bertha sit de Familia, quae nondum capax est primorum Canoniciatum in Germania, per hoc tamen inaequalitas inter ipsam, & Sempronium nulla inducitur; quia & ipsa Baronissa est, sicut Sponsus est Baro: consequenter uterque in Baronatu, tanquam in uno tertio principali conveniunt. Imò posito etiam, & non concesso, quod disparitas in Nobilitate inaequalitatem quandam fundaret; per hoc tamen ipsa Sponsalia non efficiuntur irrita, licet inconsultis, aut invitis Parentibus iniecta,

ut recte Layman. l. 5. tr. 10. p. 1. de Sponsal. c. 1. n. 14. v. tertiò. ibi: *Quamvis Liberi promittendo Matrimonium inconsultis, aut invitis Parentibus peccarint, datam tamen Sponsaliorum fidem servare tenentur, tametsi impari conditionis Sponsus promiserint: neque Parentibus hoc casu impedire eos concessum est.* Additque Layman. l. cit. Parentes, qui huiusmodi Nuptias impedire conantur, mortaliter peccaturos.

22.

4. Solius Sempronii res hic agitur, cui jam ante contracta Sponsalia defectus excellentiae Nobilitatis, quae ad praecipuos in Germania Canoniciatus requiritur, ab ipsomet Berthae Patre detectus fuit. Igitur sicut aliis pro se introductis Juribus, & favoribus, ita & huic favori, quem descensuri ab ipso ratione avitae Nobilitatis ad Canoniciatus istos obtinendos habent, renuntiare pro libitu suo, ex causis animum suum moventibus absque ullius contradictione potest, modo per hanc renuntiationem nulli alteri noceat. Non verò nocet ulli hominum sic renuntians, & contrahendo cum Bertha. Si enim noceret alicui, noceret vel Dominae Matri, quasi huius valetudo per iteratam harum Nuptiarum, utpote ipsa invitata contractarum memoriam labefactanda esset; vel Domino Fratri, qui timet, ne a competentibus sibi Nuptiis, divulgatis Fratris sui ceptis, impediatur; vel

Berthae Sponsae suae, quae dicitur apud Nobilitatem Suevicam ob defectum patris Nobilitatis fore contemptui; vel Liberis suis, qui primorum Germaniae Canoniciatum capaces non erunt; vel bonis paternis, quae propter initas cum Bertha Nuptias non amplius allicient Sponsas nobilissimas ad Matrimonium cum Sempronii Liberis ineundum. Atqui nulli ex his per contractum Matrimonii cum Bertha nocuum ullum affertur. Non 1. Dominae Matri; quia sicut per Dominam Matrem stat, praconceptis in grave damnum Berthae opinionibus se liberare, ita etiam per ipsam stat plena animi tranquillitate frui, ad stipulando Legibus Evangelii, Naturalibus, Canonicis, & Civilibus, & consentiendo, ut adimpleat Sempronius fidem, qua Berthae sese sub iterata Divini Numinis invocatione obtinuit. Non 2. Domino Fratri; nam huic integrum manet Patrimonium, integer Nobilitatis status, honores, praerogativae, integerrima Jura omnia, quae modo nobilissimas Sponsas ad Nuptias cum ipso ineundas possent allicere. Non 3. Berthae; quia non est credendum, quod Bertham, proximo malum velle nesciam, & eodem Baronali, cum Sempronio gradu conspicuam, quaeque alibi in consortio Principum, aliarumque primae Dignitatis Personarum tota vita sua aequo Jure versata est, Nobilitas Suevica defectui habitura sit: & esto, hoc contingeret, illud Praetor & Pragmatica Imperii Leges ratum non haberent. Non 4. Liberis; quia licet non sint futuri capaces Canoniciatum aliquorum, cum tamen Barones sint, cum Baronibus suo tempore Nuptias sperare possunt, & si quondam a vocante DEO sic destinatum fuerit, invenient ubivis Ecclesias, & Capitula virtuti suae patula. Non denique 5. Bonis Paternis; nam cui divitiae sunt, & illustris fortuna favet, Sponsa petita manet.

5. Causa recedendi a Sponsalibus, propter defectum avitae Nobilitatis, nulla alia esse potest, nisi quod Domina Mater invita sit, & timendum veniat, ne Consanguinei Sempronii in hunc & Bertham concipiant odia, ex quibus dein inter ipsos conjuges futuros disturbabitur pax & concordia, si Sempronius viderit, odiorum, quae a Consanguineis patitur, causam unice ex Nuptiis cum Bertha contractis nasci. Atqui nihil istorum causam sufficientem rescindendi praebet; quia cum renitentia Dominae Matris non ex inimicitia & odio, sed ex quibusdam non fundatis, & immaturè praconceptis opinionibus promanaverit, non est dubitandum in pietate Dominae Matris, quod consilium in melius mutatura sit, ubi de praesentia servanda fidei obligatione, ac de irreparabili injuria, quae Berthae ex oppositione Materna imminet, probè fuerit edocta. Consanguineorum verò odia aut concilianda sunt, aut si reconciliari renuunt, tanti non facienda, ut eorum intuitu Jus, fasque a Sempronio pessum:

peffumdari debeat, triffiffimùmque foret, Sponfalia, & Matrimonia, quæ inter Mortales omnium liberrima funt, à malè conceptis, aut concipiendis hominum malè feriatorem odiis, ac inimicitiiis validitatem fuam mutuari debere. Ex quo porro fequitur, factam teftam manfuram inter Sempronium, & Bertham in Conjugio pacem, atque concordiam. Vel enim Domina Mater, & Confanguinei Sempronii novis Nuptis conciliari poffunt, vel non poffunt. Si primum; non apparet, quo ex capite paci atque concordia fit inferendum vulnus: fi fecundum; propterea Sempronius caufam non habet fuccenfendi Berthæ, fed fibi hoc imputare debet, quòd cuncta fcienf, nihilominus eam duxerit.

24.

6. Si aliqua caufa evinceret poteftatem refiliendi à Sponfalibus in Sempronio, effet maximè, quia habenda funt pro implicitè conditionatis, utpote quæ contracta cenfeantur fub conditione implicita Confenfus Materni. Atqui hoc dici non poteft; quia Sempronius à Domina Matre, quæ pia, & prudens Matronda eft, prudenter fibi polliceri potuit Confenfum in iftas Nuptias, cum ut fuprà Num. 22. oftenfum eft, nulla ex Nuptiis ejus cum Bertha macula in Familiam, nulla refultet injuria in Dominam Matrem, vel quenquam alium: ergo &c. Neque obftat, quòd Sempronius fateatur, fe in principio faltem hanc conditionem, *fi Domina Mater confenferit*, adjicere voluiffe. Nam non hoc ipfo adjecit; neque enim ipfi tractatus præcedentes Contractum, multò minus nudæ intentiones, aut velleitates attenduntur.

L. §. fin. C. de Jurejur.

Certè fi validitas Contractuum ad intentiones in mente retentas reftriingeretur, omnis à commercio humano exularet bona fides, nulla deinceps invenirentur Sponfalia, licet Jurejurando firmata, quorum effectus à Propinquorum, Parentum, Liberorum &c. fictitiis offenfionibus non eluderetur: nihil effet ufpiam tutum vel à fœdè fimulantium, vel à fraudare volentium reftriktionibus, dolis, perjuriis.

25.

7. Longè graviores rationes Domina Mater habet ad confenfum in Nuptias meditataf præftandum; quia 1. Ex confenfu negato neceffariò fequentur odia Teftium Illuftriffimorum, qui Contractui Sponfalitio adfuerunt, & cafu, quo reffeffum fuerit à contractu, tanquam ludibrio habiti, meritò indignabuntur graviffimè, ac fortè etiam ignominiam per hoc fibi illatam vindicabunt. 2. Indignabitur fimiliter Aula Lotharingica, utpote apud quam Bertha gratiofa eft, & judicabit contemptu illius etiam in fe redundare: unde timendi erunt graves motus &c. 3. Ipla Bertha, fi à Sponfalibus recedatur, propter contemptum, quem in Aula Lotharingica feret, graviffimum patietur damnum; quia fpe Nuptiarum cum Sempronio inveni-

darum, poft Sponfalia cum ifto contracta, recufavit duas alias Nuptias: quòd damnum Sempronius nulla alia re, quam Contractu promiffi Matrimonii refarcire valet.

26.

8. Liberi à Parentibus non poffunt cogi ad contrahendum Matrimonium cum determinata Perfona: ergo cum contrariorum eadem fit ratio, & difciplina, non poterunt etiam compelli ad non contrahendum cum determinata Perfona, & multò minùs ad fidem, qua per Sponfalia femel contracta alicui Perfonæ obftricti funt, turpiter abjurandam neceffitari.

27.

9. A Sponfalibus abfolutè validis refilire non tantum non poteft, fed ea implere tenetur Sempronius ex Juftitia, èftque hæc obligatio certa, & evidens. Igitur non poteft, nec debet per incertas, vagas & imaginarias futurorum incommodorum conjecturas vitari. Tales autem in præfenti Cafu funt caufæ, quæ prætenduntur: ergo &c.

Refponfiones ad Argumenta Adverfariorum.

28.

Videamus, quam vim Argumenta hæc habeant. Ad 1. Verum eft, quòd Sponfalia de futuro, purè inita, purè obligent fub peccato mortali, & quidem ita, ut neque Parentibus contrarium volentibus obedire debeant, aut poffint filius, aut filia, hujusmodi Contractu Sponfalitio obligati. Interim tamen femper intelligendum hoc eft tantum de Cafu, quo renitentia, & contraria voluntas Parentum eft imprudens, & nullo nixa gravi fundamento: fecus, fi tale fundamentum Parentes habeant. Tunc enim ficut filii, Parentibus invitis contrahendo Sponfalia graviter delinquent, ita licitè promiffionem Sponfalitiam ita factam implere nequeunt; nam Sponfalitia promiffio non poteft obligare ad aliquid, quòd licitè fieri nequit. Atqui filius aut filia non poteft licitè contrahere Matrimonium; quando Parentes rationabiliter, & graviter inviti funt: funtque Sponfalia hoc cafu ipfo jure invalida, etiam fi jurata funt; quia ad impoffibile, vel inhonestum nemo obligari poteft.

Felic. Oliva p. 1. q. 29. n. 24. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 14. *¶* enimverò. Wex Ariadn. p. 5. tr. 2. f. 3. num. 12. Ego ad libr. 4. Decretal. tit. 2. n. 81. *¶* fi primum.

In noftro cafu Domina Mater Sempronii rationabiliter, & graviter invita eft, ut mox oftendetur. Igitur obligatio Sponfalitiam Sempronium ftante hac rationabili, & gravi renitentia Dominae Matris, nulla stringit, fed ipfe Dominae Matri contrarium volenti obedire tenetur.

29.

Ad 2. Ex hoc Argumento apparet, Authorem Refutationis non fatif inftitutum effe circa mores, & confuetudines Ecclefiarum Germaniæ; nam aliæ in hac Ecclefiæ Ca-

thedrales sunt, in quibus ex antiqua, & à Pontificibus tolerata consuetudine nullus in gremium Canonicorum recipitur, nisi Nobilis, quique Nobilitatem per plures Majores ferie non interrupta ad se derivatam probare possit, uti est Ecclesia Eustettensis, in qua octo Majores requiruntur tam ex parte Patris, quam ex parte Matris. Aliæ contra sunt, in quibus Canonicatum capaces sunt tantum, qui Gradu Doctorali insignes sunt, uti est Ecclesia Olomucensis, in qua Canonici omnes, etiam nobilissima Prosapia oriundi, debent esse Doctores. Aliæ denique, quæ in gremium Canonicorum admittunt tam Nobiles, quam Doctores, ita tamen, ut qui titulo Nobilitatis obtinere Canonicatus volunt, Nobilitatem suam per plures, vel pauciores Majores pro diversis diversarum Ecclesiarum statutis probare debeant. Nullam autem scio Ecclesiam Cathedrali in Germania, in cujus Canonicatus admittantur titulo solius Nobilitatis Nobiles, qui non per aliquot saltem Majores Nobilitatem suam demonstrent. Hinc qui tali Nobilitate destituuntur, ejus defectum per Gradus Literarios ex Theologia, vel Jure receptos supplere solent, ut Canonicatum hujusmodi capaces sint. In nostro Casu ignoro, an & per quot Majores Nobilitatem suam Bertha probare possit. Si probare eandem posset per tot Majores, quot Majores sufficiunt in plerisque Germaniæ Ecclesiis Cathedralibus, efficax foret hoc argumentum secundum, & rectè probaret, Dominam Matrem Nuptiis Sempronii cum Bertha meditati imprudenter adversari, licet per has Nuptias Filii ejus efficerentur aliquorum, & paucorum Canonicatum Cathedralium incapaces; quia malum hoc incapacitatis non videtur tantum esse, ut obligationi Justitiæ, quam Sponsalitia promissio inducit, praponderet. Si verò adeò recens sit Berthæ Nobilitas, ut eam insignitos Majores utrinquetam ex parte Patris, quam ex parte Matris nullos, vel tam paucos possit ostendere, ut vi illius vel ad nullum, vel ad paucos admodum Canonicatus Filii ejus futuri admitti possint, credo omnino, Dominam Matrem Nuptiis cum ea ineundis prudenter, & rationabiliter resistere; quia capacitas ad Canonicatus titulò Nobilitatis obtinendos est bonum valde æstimabile, quod patet ex summa illa sollicitudine, quam Familiæ Nobiles habent, ut puritatem sanguinis aviti per feriem non interruptam confervent, adeò, ut in plerisque ratio ponderosissima Nuptias cum aliquo, vel aliqua non ineundi sit, quòd talis Sponsus, vel Sponsa avitæ Nobilitatis excellentiæ careat.

30.

Ad 3. Sempronius quidem ineundo Matrimonium cum Bertha, nullam inurit Familiæ suæ Perillustri maculam positivant, privat tamen illam quoad Descendentes à se, & à Bertha, aliquo ornamento in Nobilitate valde æstimabili, scilicet capacitate ad Canonicatus in Ecclesiis Cathedralibus Germa-

nix, & sic affricat Familiæ suæ maculam quandam negativam, quam Familiæ nobiles tali prærogativâ insignes ita cavent, ut sæpè Nobilis cum Barone, & Baro cum Comite hac prærogativâ destituto, Matrimonio jungi renuant. Ex quo patet, quòd licet etiam Bertha sit Baronissa, sicut Sempronius Baro est, nihilominus inter eos sit talis inæqualitas, ut ex hoc capite Sempronius à Nuptiis cum Bertha ineundis poterit absterri prudentissimè. Si autem prudentissimè ratio ista potuisset absterri Sempronium à contrahendis cum Bertha Sponsalibus, ob eandem rationem Domina Mater prudentissimè negat suum Consensum; consequenter non peccat illum negando. Conf. Plerique concedunt, quòd Parentes prudenter resistunt Matrimonii filiorum cum persona, cui si jungantur, ipsorum Descendentes incapaces redduntur ad Majoratum, & Primogenituram, quæ aliàs eosdem tangeret: ergò similiter prudenter resistunt Matrimonii Liberos, si per illa Descendentes amittant capacitatem ad Canonicatus in Ecclesiis Cathedralibus, quam aliàs Familia illorum habuit; nam etiam hac capacitas, ut supra dictum est, est bonum valde æstimabile, cui conservando sollicitè admodum invigilant Familiæ nobiles.

Ad 4. Negatur, quòd in hoc Casu agatur Res solius Sempronii; agitur enim de Splendore Familiæ, qui facile pessumdari per ejusmodi Nuptias & Matrimonium potest. Nam ponamus, quòd facile fieri potest, Sempronium suscipere ex Bertha copiosam prolem sive masculam, sive feminam, & bona, ex quibus juxta statum sui conditionem omnes alantur, non sufficerent Filios autem ex Bertha susceptos ob defectum avitæ Nobilitatis non amplius capaces esse Canonicatum in Ecclesiis Germaniæ, vel omnibus, vel plerisque. Quid tum facient Filii aut Filix? istæ Maritos juxta conditionem sui status aut nullos, aut si aliquos, illos difficulter acquirant, utpote quos aut sinceritas aviti Sanguinis, aut Patrimoniorum amplitudo ad Nuptias cum aliqua ineundas plerumque allicit; quorum primum per ipsas Sempronii cum Bertha Nuptias, alterum numerositate Proles facile eventura tollitur. Filii verò ita multiplicati vel constituerunt manere in sæculo, vel Clericatum meditantur. Si primum; tanquam incapaces Canonicatum, & Patrimonio (utpote quòd divisum in omnes omnibus nequaquam sufficiet) juxta statum sui conditionem congruo destituti, vix sperare æquales Nobilitati suæ Nuptias poterunt. Si secundum; aut cogentur Religionem ingredi, aut si Canonicatus affectent, necesse erit, ut Gradum Doctoralem accipiant; quorum prius non omnibus aptum est; alterum apud primariam Nobilitatem infuetum, nisi Ecclesia talis sit, quæ vi statuti exigit, ut omnes Canonici Doctores sint: ad alterutrum autem adigere ali-

aliquem, valde arduum est. Ex quo sequitur 1. Quod hęc Nuptiis graviter offendatur Familia, cujus splendor hoc, quo dictum est, modo periclitatur. 2. Quod merito illas indignę ferat Domina Mater, utpote quę minimę imprudenter sollicita est de conservando antiquo ejus Familie splendore. 3. Quod justissime easdem Nuptias averfetur Dominus Frater, & ceteri Consanguinei, utpote quorum interest, ne ex Familia ipsorum sit, qui juxta Familie statum, & conditionem mediorem defectu non possit se sustentare: ut taceam ea, quę Liberis, & quę prędiis ad Familiam pertinentibus ex his Nuptiis possunt damna accedere.

32. Ad 5. Satis ostensum hactenus est, quod sola interruptio Nobilitatis avitę, quę continget per Nuptias cum Bertha initas, sufficientem causam Domine Matri prębeat prudenter recusandi consensum, utpote ex qua interruptione merito timetur, ne splendor Familie, ut *Num. pręc.* dictum est, obfusceretur. Hinc nova instructione illa opus non habet, quę persuadeatur, ut consilium suum mutet. Bertha quidem & ipsa patietur damnum, quod tamen facile tolli poterit per Nuptias cum æquali initas. Contrā damnum, quod Familie suę Sempronius per Nuptias istas inferet, uno, vel pluribus etiam sæculis indigebit, ut reparetur, & capacitas ad Canonicatus amissa redeat. Consanguineorum indignatio, cum justa sit, idcirco difficilius placari poterit. Ex quo facile erit, in Sempronio oriri tristitiam, ex tristitia pœnitentiam facti, ex hac averfionem Uxoris, cum qua initas Nuptie indignationis hujus fuerunt causę. Unde corrueat necessariō pax, & concordia inter ipsum & Bertham, & sequentur mala, quę ex concordia inter Conjuges violata oriri solent.

33. Ad 6. Verum est, quod Sempronius in Contractu Sponsalitie, cum Bertha inito, non addiderit expressę conditionem, si Domina Mater consenserit: at voluit addere, ut fatetur Author Refutationis. Igitur merito pręsumitur in eadem voluntate mansisse, tum quia quilibet perseverare in intentione suscepta pręsumitur tamdiu, quamdiu illam non probatur revocasse; tum verō quia peccatum nunquam pręsumitur. Peccasset autem Sempronius, si promisisset Matrimonium cum Bertha contrahendum etiam invita Matre. Unde merito censetur continuasse intentionem suam de conditione prædicta addenda. Et esto, positivę hanc exclusisset, hac exclusione sua aliud quid non effecisset, nisi ut Contractum Sponsalitiu ita initu reddidisset invalidum. Nam ut *Num. 28.* dixi, invalida est promissio Matrimonii, quod iniri non potest sine peccato, & læsione pietatis Parentibus debitę, quę læsio tum contingit, quando circa Contractum Matrimonii rationabiliter, & graviter Parentes invitati sunt.

34. Ad 7. Applicari poterit Responso, quæ ipse Author Refutationis utitur. Vel enim

Testium Illustrissimorum, qui Contractui Sponsalitie adfuerunt; odia, & indignatio placari potest, vel non. Si prius; nihil mali ab his timendum. Si posterius; cum indignatio illorum oriatur ex non fundatis, & immaturę præconceptis opinionibus, quibus credunt Dominam Matrem non posse esse rationabiliter invitam, tanti faciendę non est, ut propter illam avitę Nobilitati Familie Sempronianę tollatur decus capacitatis ad Canonicatus Cathedralis Germanie summę æstimabile. Aula Lotharingica libenter acquiescet, si instruat de Justitia renitentię, quæ Domina Mater recusat ad meditatę Nuptias cum tanti splendoris jactura petitiu dare Consensum. Damnum verō, quod Bertha patitur ex hoc, quod spe Nuptiarum cum Sempronio ineundarum recusaverit duos alios, cum gratiosa sit in laudata Serenissima Aula, facile compensari poterit per Nuptias alias, quas utique non pauci ambient, ut gratia Serenissimorum Ducum, quę Berthę arridet, etiam Marito futuro fulgeat.

Ad 8. Invertitur Argumentum in Authorem Refutationis. Nam quando multum interest Parentum, ut Filius cum tali determinata Persona Matrimonium ineat, quia v. g. erit medium ad componendas graves inimicitias, quę sunt inter Parentes, & Consanguineos eorum, cum quibus est contrahendum Matrimonium, tenetur Filius, saltem si jam antecedenter decrevit ad statum Matrimoniale transire, sub lethali culpa obedire Parenti illud præcipienti, idque non tam ex præcepto paterno, quam ex pietatis virtute, quæ tenentur Filii consulere paternę indigentię, ut cum communi docet

Sanch. l. 4. de Matr. D. 23. num. 5. post S. Thom. in 4. dist. 29. q. un. art. 4. in Corp.

Igitur idem Filius sub simili peccato tenebitur abstinere a meditatę Nuptiis, si Parentes ob causam rationabilem graviter invitati sunt. Ita autem invitam esse Dominam Matrem Sempronii, hactenus satis ostensum est.

Ad 9. Obligatio implendi promissionem Sponsalitiu est certa in Thesi, & ubi inde nulla nascuntur incommoda gravia. In Hypothesi autem præsentis ob Doctorum hoc in Casu consultorum Autoritatē, & rationes saltem dubia est. In dubio autem Sponsalitiu de futuro potius contra Sponsalia, quam pro illis judicandum est, tum quia Jura proniora sunt ad liberandum, quam ad obligandum:

L. Arianns. 47. ff. de V. O.

tum quia Matrimonia coacta, & nolentibus imposita solent habere funestos, & difficiles exitus.

C. Requisivit. 17. de Sponsal.

In quo Sponsalia de futuro differunt a Sponsalibus de præsentis, seu Matrimonio, ubi etiam dubitatur de valore, non pro libertate, sed pro Matrimonio standum est.

Engl

35.

36.

Engl. *ad lib. 4. Decretal. tit. 1. §. 2. n. 11.*

Wiestner *ibid. n. 37. Ego ibid. n. 6.*

Judico ergo, non obstantibus Rationibus, & Argumentis, quæ Author Refutationis adduxit, posse Dominam Matrem tutissimam conscientiam pergere in negando Consensu, & impedire mediatum Matrimonium Sempronii cum Bertha.

DEDUCTIONIS TERTIÆ QUÆSTIO I.

*Utrum Sponsalia à Sempronio
cum Bertha contracta, sine
valida?*

37.
Rationes
Dubitandi.

PRO valore, & obligatione illorum militat
1. Quia contracta sunt liberè, & præcedente plusquam maturo consilio, item qualitate Sponsæ multum antè perspecta; imprimis enim constat, quòd postquam apud illos, qui rescire hoc poterant, de qualitate Sponsæ, Familiæ ejus Nobilitate, Stemmatibus antiquitate multum, diuque per aliquot menses indagavit, comperto etiam, quòd res est, nihilominus Sempronius, nullis illicis deceptus, ad Nuptias Bertham sibi petièrit. 2. Pro iis impetrandis ad Dominum Parentem, nihil tale cogitantem, misit Virum Gravissimum è Societate JESU Sux Regiæ Serenitatis Lotharingicæ Confessarium. 3. Antequam ulterius progrediretur, voluit sibi exhiberi Documenta Nobilitatis, & Diploma Cæsareum, quò Dominus Pater Berthæ cum Posteris, postquam ipse, & Majores ducentis propè annis intra Equestrem Ordinem constiterunt, Baronatu Imperii, & quidem sine ullis expensis, sola Cæsarea benignitate auctus est. 4. Invocato cum Bertha per sumptionem SS. Eucharistiæ Divino consilio adiit duos Regiæ Lotharingicæ Aulæ Proceres, Marchionem Lunati Prætorianæ Custodiæ Helveticæ Supremum Chiliarcham, & Comitem Ferrari Serenissimi Electoris Trevirensis defuncti Supremum Camerarium, eosque rogavit, ut Sponsalibus postera die contrahendis testes adesset velint. 5. Coram his testibus, & coram Berthæ Parentibus per verba expressa, & Annulorum commutationem Sponsalia solemniter contraxit, & hoc quidem, cum pauci omnino menses ad Majorennitatem consequendam deessent, & defuncto jam Domino Parente suo patria potestate solutus esset. 6. Factus paulò post Majorennis, domumque redux, cum jam innotuisset ipsi Domine Matris dissensus, hoc non obstante, eadem Sponsalia per Literas ad Sponsam, Sponsæque Parentem multifariam confirmavit, ratæque, & firma habuit, promisitque illa exequi etiam invita (sunt verba Sempronii) Matre, Consanguineis, & quibuscunque. 7. Non cessavit

Sponsam, & hujus Parentes ad Nuptias parandas (quòd gravibus fecerunt expensis) adigere. 8. Ne quid ipsas Nuptias morari posset, Domino Parenti Sponsæ, ex Dynastia sua ad Aulam profecto, Pacta Dotalia, manu suâ propriâ exarata, quæ apud eundem Dominum Parentem etiamnum asservantur, transmisit. 9. Ut Ecclesia Sancta in testimonium hujus Matrimonii vocaretur, eaque ratione contraheretur vinculum indissolubile, Dominum Parentem induxit ad petendas à gemino Parocho Denuntiationes: quòd etiam factum est. Hæc autem manifestè indicant, Contractum istum cum plena deliberatione, serio animo, & cum voluntate se obstringendi fuisse initum. Præterea

2. Idem Contractus Sponsalitus etiam à Sempronio initus est absolute; quamvis enim dicat, se ab initio cogitasse apponere Contractui huic Conditionem, *Si Domina Mater consenserit*, prout tamen ex Facti Specie Num. 1. constat, fatetur tamen ingenuè, quòd cum Actu coram Perillustribus Testibus propositum exequeretur, conditionis istius apponendæ oblitus, Sponsalia de futuro sine hac limitatione explicitè adjecta contraxerit. Igitur in Foro saltem externo non præsumetur Condicio ista fuisse præconcepta in mente, quippe cum mens contentium, abstracta à verbis, dicatur omnino tacita, ac verbum, in mente retentum, nihil operetur ad extra.

Bald. *in l. Codicillis. §. insulam. ff. de Legat. 2.*

Eaque voluntas, quæ non transiverit in dispositionem, non attendatur.

Fusar. *de Substit. q. 276. n. 13. §. voluntas enim.*

Neque in Pactis, & Contractibus satis sit dicere, ita contrahentes tacite voluisse, nisi exprimat; quia, quòd non loquuntur, velle non videntur

Per l. *quidam. §. 6. Et ibi DD. ff. de Hered. instit. l. 2. cons. 13. à n. 16.*

alioquin, si ad intentiones, vel conditiones, in mente retentas, valor Contractuum restringeretur, vix aliquando sine periculo Nullitatis quis contrahere posset. Hinc

Gobat *Theol. Exper. tract. 10. n. 302.*

attestatur, in Foro externo, usu receptum esse, ut allegata mutatio, vel ignorantia hujus, vel illius qualitatis, eventus & non admittatur, nisi fuerit in Contractu Sponsalitus facta expressa illius mentio, quandoquidem potest iudex merito de quibusdam, etiam reddentibus notabiliter difficultiorem Contractum, dicere, *Omissum in Contractibus habetur pro omisso. l. Veteribus. C. de Pact. Ita ille.*

3. Eundem Contractum Sponsalitivum non invalidat dissensus Domine Matris, quippe

quippe cum Liberi in electione status sint liberi, neque ex Consensu Parentum, vel alterius alicujus dependant.

c. cum virum. 12. de Regular. Engl ad tit. de Sponsal. impub. §. 2. n. 10. Pirh. ad tit. de Sponsal. num. 47. König ibid. num. 47. Clariff. P. Schmier Jurispr. Canonico - Legal. lib. 4. tract. 1. c. 2. à num. 55.

Et licet in re tam ardua consilium Parentum citra peccatum regulariter negligere vix possint; consilium tamen eorum sequi haud tenentur, prout post alios tenent

Covar. in 4. Decret. p. 2. de Sponsal. c. 3. §. 4. num. 1. Sanch. de Matr. l. 4. D. 23. n. 10. Bossius de Matr. c. 11. §. 8. n. 83. Krimer ad tit. de Sponsal. num. 149. Reiffenstuel ibid. num. 15. P. Schmier l. cit. n. 70.

Indeque Sponsalia, etiam insciti, aut invitis Parentibus, inter Personas disparis quoque conditionis inita, debent executioni mandari, veluti praxis Ecclesiae monstrat, prout testis est

Laym. Theol. mor. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. sub num. 14.

indicans, mirum videri non debere, quod Sponsalia interdum sint illicita, & tamen rata, ac obligatoria, cum etiam prodiga Promissio, vel Donatio obligationem pariat, quamvis male sit facta. Concordat

Reiffenstuel l. cit. n. 270. & seq.

Limitat quidem doctrinam istam

P. Layman l. cit.

si ex Matrimonio, quod Filius, aut Filia inire cogitat, ob disparitatem Sponsorum, vel similem causam, timeatur Familiae dedecus, scandala, & discordia. Verum hac limitatio in Casu praesenti nullatenus videtur locum obtinere; in primis enim Familiae dedecus non est, si Sempronius, ex Stemmate Baronum oriundus, ducat in Matrimonium Bertham, similiter à Patre Barone, ac primario Serenissimi Ducis Lotharingici Ministro, progenitam; imò ex tali Conjugio Perillustri Familiae Sempronii videtur majus ornamentum, quam detrimentum accedere. Deinde Scandalum per has Nuptias non tam generatur, quam evitatur, quatenus Sponsalia, publice contracta, & notoria, sine nota aliqualis prostitutionis aut suspicionis, in Sponsam, & ejus Parentes redundantis, ac sine periculo magnorum incommodorum à Sponsa Parentibus, & tota forsitan Aula Lotharingica excitandorum, dissolvi nequeunt. Denique discordia nullatenus timenda esse videntur, ubi Sponsa virtuosa cum Sponso paris virtutis in Domino sociatur, & quae modo, dum adhuc incognita est, aversionem movet, postea, cum praesens erit, oculos, & animos ad se trahere valet, ut saepius experimento didicimus, quod Sponsi, aut Sponsae, ab initio Parentibus, aut Propinquis penitus exosae, ac invisae,

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

successu temporis eorum amorem, & affectum fuerint promeritae.

Sanch. l. 1. de Matr. D. 14. sub n. 3.

4. Justam renitentiam Maternam, & propter hanc assertam Nullitatis Sponsalium causam etiam non praebet, quod Bertha descendat ex Familia recentiori, ac Canonicatum Cathedralium praecipuorum in Germania nondum capaci. Nam contra esse videtur 1. Quia si propterea Parentes justam haberent causam non permittendi, sed annullandi Sponsalia, quibus antiquior Familia cum non aequè antiqua sociatur, hoc in gravem respectum quamplurimarum Familiarum, ab Imperatore in Album Nobilium, vel Baronum, cum concessione omnium Praerogativarum, caeteroquin antiquae Nobilitati competentium, relatarum cederet: quin & Imperatori, vel Principi, Nobilitatem conferenti, probrosum esset etiam dubitare, num dignus sit, quem ipse Princeps, ac Imperator elegit, & dignum judicavit, prout ex

L. 3. C. de Crim. sacril. post Modest.

Pistor. Nizol. & Cassaldum deducit, atque Nobilibus recentioribus notandum esse ex

Schneidewino, & Matth. Stephan. scribit Philip. Knipschild de Nobilit. l. 1. c. 6. n. 10.

Præterea 2. Hujusmodi Illustres, & Nobiles recenter adlecti capaces sunt Dignitatum saltem, & Officiorum Politicorum, in quibus, & speciatim in Consilio Imperiali Aulico quoad sessionem, & votum discrimen inter Nobiles avitos, habilesque ad Canonicatus Cathedrales, & inter alios recentiores sublatum est, ordine praecedentiae juxta ordinem receptionis ad Consilium desumendo, juxta antiquam consuetudinem relata, & probatam in

Capitul. Leopold. art. 40. Joseph. art. 39. Carol. 24.

quod ipsum in Camera usitatum testatur

Knipschild l. cit. n. 12.

Idem observatur in Ordine Equestri, & immediata Libera Nobilitate Imperii, ubi Nobiles juniores, & primùm creati, tanquam Commembra, ad Corpus Equestre admittuntur, & quoad praecedentiam observatur tempus, quo quisque in Matriculam receptus est, prout in Conventu Inclyti Cantonis ad Niccarum Tubingae 12. Nov. 1650. statutum refert

D. Joan. Stephan. Burgmaister de Immed. Imp. Nobilit. fol. 222.

Denique 3. Licet in plerisque Ecclesiis Cathedralibus, & Metropolitanis cautum sit, ut non alii, quam qui Nobilium Progenitorum certum numerum probaverint, recipiantur, tamen Summus Pontifex, & Imperator dispensare, & efficere valent, ut noviter creati Nobiles assumantur ad Collegia Canonicorum, ad quae vi Statutorum, aut Consuetudinis alioquin soli antiquiores promoveri possunt.

LII

Befold.

40.

Befold. *Theſaur. pract. V. Mhnen / Knipſchild de Nobilit. l. 1. c. 8. n. 53. & 57. Lynn. Jur. Publ. tom. 2. l. 6. c. 5. n. 53.*

41.

5. Non obſtat valori Sponſalium Quæſtionis Lex, quæ dicitur in Gallia lata, ut invalida ſint Sponſalia Liberorum ſine præſcitu, & Conſenſu Parentum contracta. Nam 1. Si etiam talis in Gallia extat Lex, & obligatoria eſt, ſolos Gallia Regi, à quo lata eſt, ſubditos obligat, qualis in Caſu præſenti nec Sponſus, nec Sponſa eſt, cum ille domicilium habeat in Suevia, iſta in Lotharingia proprio Duci ſubjecta. Si velis, Legem iſtam extendi ad omnes Diœceſes, quæ reguntur ab Epifcopis Gallia, contra eſt 2. Quia Lex iſta ſaltem in Controverſia præſenti non obſtat valori Sponſalium; nam Sponſa parentès illa probarunt, & licet Sponſi Mater contradixerit, & contradicendo fortassis invalida Sponſalia in Lotharingia primò inita reddiderit, tamen illa Sempronius, poſtea in Germaniam reverſus, ubi neutiſquam obligari Lege prædicta poterat, ratificavit, & ratificata Sponſa ſua per Literas ſignificavit, quam ratificationem hæc, utpote cui Lex allegata propter apertum Conſenſum à Parentibus ſuis obtentum non obſtitit, unà cum Parentibus ſuis, & antequam Sempronius reclamaret, valide, & licite acceptavit. 3. Dici poteſt, quòd Lex iſta, ſi obligatoria ſit, tantum ſtringat Sponſos in patria poteſtate conſtitutos. Talis autem non erat amplius Sempronius, utpote cujus Dominus Parens jam antea diem extremam obièrat: in Matris autem poteſtate non ſunt Filii. Igitur obeſſe non debet valori Sponſalium iſtius diſſenſus, & ſi obſtitiffet primò, dein ſaltem cum poſt adeptam Majorennitatem Sponſalia ratificavit Sempronius, ea valida reddidiffet. Verùm his non obſtantibus

42.
Rationes
Decidendi.

DICENDUM, Sponſalia à Sempronio cum Bertha inita aut fuiſſe ipſo Jure invalida, aut implicite conditionata, ſi *Domina Mater conſenſerit*, proinde ante Conditionis iſtius eventum (quem expeſtare non amplius tenetur Sempronius, utpote toties in petitione Conſenſus repulſam paſſus) non obligatur ad Sponſalium promiſſionem implendam. Reſponſionem iſtam deduco ex ſequentibus Concluſionibus, ex quarum veritate per ſeipſam ſequitur. Quare

43.

DICO 1. Domina Mater in Caſu præſenti, & poſito, quòd adeò recens ſit Berthæ Nobilitas, ut eà inſignitos Majores utrinque tam ex parte Patris, quàm ex parte Matris nullos, vel tam paucos poſſit oſtendere, ut vi illius vel ad nullum, vel ad paucos admodum Canonicatus Filii ex ea naſcitur admitti poſſint, prudenter, & graviter quidem poteſt eſſe invita circa Sponſalia cum hac inita à Sempronio Filio; quia capacitas ad Canonicatus titulo Nobilitatis obtinendos eſt bonum valde æſtimabile, quòd patet ex

ſumma ſolicitudine, quam Familia Nobiles habent, ut puritatem Sanguinis aviti perſeriem non interruptam conſervent, adeò, ut in plerisque ratio ponderoſiſſima Nuptias cum aliquo, vel aliqua non ineundi ſit, quòd talis Sponſus, vel Sponſa avitæ Nobilitatis excellentiæ careat: nec immerito; agitur enim de ſplendore Familia, quæ facile peſſumdari per ejuſmodi Nuptias, & Matrimonium poteſt. Jam autem permittere, ut bonum adeò æſtimabile, quale, ut dixi, eſt dicta capacitas ad Canonicatus, Nepotes, & ex his deſcendendi amittant, longo inpoſterum tempore non amplius recuperandum, graviffimum eſt Parentibus de Splendore Familia ſua ſolicitis, qui propterea ſolent, & ſunt plerumque graviffimè inviti, ſi de talibus Nuptiis Filii eorum cogitent. Non ergo vitio verti Domina Matri Sempronii poteſt, ſi Nuptiis talibus à Sempronio ineundis non conſentiat.

DICO 2. Illicite Sponſalia contrahit Filius, ſi quoad eorum Contractum Parentes prudenter, & graviter inviti ſint, & hoc ipſe ſciat. Neque excuſari à peccato gravi Filius ita contrahens poteſt, ut cum aliis docent

Laym. l. 5. tract. 10. p. 1. c. 1. num. 14.
Wagnereck in cap. tua. 1. de deſpon.
Impub. §. omnino. not. 2. Engl. tit.
eod. §. 2. n. 6. fin. Wex Ariadn. p. 5.
tract. 2. §. 3. n. 10. Clariff. P. Schmier
p. 1. de Sponſal. c. 2. n. 71.

Ratio eſt, quia autoritatem, & voluntatem Parentum rationabilem repudiare in re tam gravi ſapit temeritatem, vel neglectum, aut contemptum illorum, quos DEUS honorare præcepit.

DICO 3. Sponſalia de futuro, ſi ſint promiſſio Matrimonii in iis circumſtantiis ineundi, in quibus cum peccaminola Parentum offenſa etiam ipſum iniretur, ſunt etiam invalida ipſo Jure; quia ad impoſſibile, vel inhoneſtum nemo poteſt obligari. Proceditque hoc, ut ne jurata quidem promiſſio ſubſiſtat,

C. quanto. 18. de Jurejurand.
ſed potius tunc fides data, eſt reſcindenda juxta can. in malis. §. cauſ. 22. q. 4.
Sicut ergo promiſſio occidendi hominem, vel adulterandi non valet, ita nec promiſſio Matrimonii illicite contrahendi.

Felic. Oliva p. 1. q. 29. n. 24. Layman.
l. 5. tract. 10. p. 1. c. 1. n. 14. §. enimvero.
Wex Ariadn. §. 3. cit. n. 12. Ego ad
Libr. 4. tit. 2. n. 81.

DICO 4. In dubio, quando non conſtat, an Filius abſolute, etiam ſtante rationabili contradicitione Parentum, contrahere voluerit Sponſalia de futuro, an verò ſub conditione, ſi Parentes rationabiliter non ſint invitati, ſemper præſumi debet, quòd alligaverit promiſſionem ſuam Conditioni de Parentum Conſenſu; quia ſemper in dubio capienda eſt præſumptio pro valore actus magis, quàm pro ejus invaliditate. Atqui ſi Filius

Filius vellet contrahere Sponsalia de futuro absolute, etiam rationabiliter, & graviter invitis Parentibus, actus juxta dicta Num. *prac.* non valeret; valet autem, si sub dicta conditione contrahat. Igitur magis pro hac, quam pro illa parte est capienda præsumptio. Confirmatur ex recepta præsumptionum Regula, juxta quam facta, de quibus dubium est, quo animo facta sint, in meliorem partem interpretari debemus.

per c. estote. 2. de R. I.

Item, quod nunquam capiatur delicti præsumptio, sed de isto constare debeat. Peccaret autem, & quidem graviter juxta dicta Num. 12. Filius, si vellet absolute, etiam contra rationabilem Parentum voluntatem Sponsalia contrahere. Igitur ad excludendum peccatum capienda est Præsumptio pro conditione de Consensu Parentum implicita. Jam Doctrinam his Conclusionibus explicatam applicando præsentis Controversiæ,

47.

DICO 5. Non potest in hoc Casu Sempronius præsumi voluisse contrahere absolute, sed Jure meritissimo censi debet contraxisse sub Conditione, *Si Domina Mater non sit rationabiliter, & graviter invita.* Ratio est, quia in Casu præsentis Domina Mater esse potest, & est rationabiliter graviter invita, ut ostensum est Num. 43. Igitur Sempronius, si voluisset contra rationabilem hanc Domine Matris voluntatem absolute contrahere, juxta dicta Num. 44. peccasset graviter, imò invalidè contraxisset vi Num. 45. Peccata autem non præsumuntur in dubio, & semper standum pro valore actus ex doctrina Num. 46. Excludetur autem peccatum, & salvabitur valor actus, si dicatur, quod Sempronius promissionem alligaverit futuro Materno Consensui. Ergo ceniendus est sic alligasse, præsertim cum de isto habeantur sufficientia indicia; sic enim, & non aliter illum voluisse contrahere Sponsalia, & se obligare ad Matrimonium cum Bertha contrahendum, præsumere facit tum nota ipsius pietas, tum etiam factum ipsius, dum statim, ac in patriam rediit, propositum suum Domine Matri detexit, & Consensum ejus impetrare studuit: imò ut in Facti Specie ponitur, voluit omnino conditionem istam apponere Contractui, neque voluntatem istam per hoc, quod illius apponendæ oblitus fuerit in ipso Contractu, censetur retractasse, ex regula Præsumptionum communiter recepta, juxta quam qualis res est, si talis manere possit, præsumitur adhuc talis esse, & talis mansura, nisi probetur mutatio.

48.

Respondetur ad Argumenta opposita.

Neque subruunt Responsonem istam Argumenta à Num. 37. proposita. Ad 1. Eo Argumento plus non probatur, quam quod Sempronius Promissionem Sponsaliam Berthæ fecerit consultò, serio animo, cum plena deliberatione, & voluntate se iis obstringendi: & hoc ipsum fatetur ipse R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

met. Cum his omnibus autem stare potest, quod eadem Sponsalia fuerint implicitè conditionata, sub Conditione scilicet imbibita ex mente Sempronii, *Nisi Domina Mater rationabiliter contradicat*: quo posito, etiam seria, deliberata, & consultò facta promissio non aliter obligat, nisi post eventum Conditionis. Neque contrarium probat, quod, ut in eodem Arg. Num. 38. dicitur, idem Sempronius paulò post Majorennis, domumque redux, cum jam innotuisset ipsi Domine Matris dissensus, hoc non obstante, eadem Sponsalia per Literas ad Sponsam, Sponsæque Parentem datas multifariam confirmavit, promiseritque illa exequi, etiam invitâ Matre, Consanguineis, & quibuscunque aliis; quia hæc scripta, dictaque intelligi possunt, quod idem Sempronius etiam postnegatum Consensum tandem precibus suis speraverit se illum impetraturum. Si absolute, etiam stante rationabili renitentia Domine Matris, voluisset se obstringere promissione sua, illa juxta dicta Num. 45. fuisset invalida; quia sine peccato impleri non poterat, & ad illicita nulla est obligatio.

Ad 2. Verum est, quod Conditio præconcepta in mente, si verbis non explicetur, nihil operetur ad extra; sed hoc solummodo intelligendum est pro foro externo; nam in foro interno, si revera intentio agentis tali conditioni in mente habitæ Consensum alliget, Contentum, & Obligationem ex isto nascentem limitat, & restringit ad eventum conditionis. Imò etiam in foro externo, si conjecturæ sufficientes adsint, prout in Casu præsentis juxta Num. 47. adsunt, quod contrahens alicui Conditioni etiam in mente retentæ alligare voluerit intentionem suam, idem Conditio hæc operabitur, quod operaretur expressâ. Concurrent igitur in Casu præsentis duæ Præsumptiones: consequenter locus est Regulæ Præsumptionum communiter receptæ, juxta quam concurrentibus pluribus Præsumptionibus, quæ inter se pugnant, fortiores prævalent debilioribus.

per textus c. transmissa. 3. qui fil. legit. & l. Divus. 7. junct. Gloss. V. exist. mari. ff. de in integr. restit.

Porro cæteris paribus potentior est Præsumptio. 1. Quæ stat pro valore actus.

L. quotiens. 12. ff. de reb. credit.

2. Quæ inclinât in partem benigniorem.

Arg. l. semper. 56. ff. de R. I.

3. Quæ excludit peccatum, & magis consultit animæ. Talis autem est Præsumptio Conditionis de Materno Consensu adjectæ; nam hæc posita, sustinetur valor Sponsalium, & à contrahente illa excluditur peccatum, quod commisisset, si contra rationabilem voluntatem Domine Matris ad Matrimonium cum Bertha contrahendum se voluisset absolute obstringere.

Ad 3. Concedo, quod Liberi in ele-

LII 2

ctio-

49.

50.

Etione Statu sint liberi, ita, ut exquirere quidem consilium Parentum, quando Matrimonium intendunt contrahere, sit de honestate, illud tamen sequi non teneantur, ac propterea Sponsalia, ab his contra voluntatem Parentum suorum contracta, executioni mandari debeant; id tamen solummodo procedit, quando Parentes non habent justam causam contradicendi; nam si rationabiliter sunt invitati, Contractus Matrimonii ita ab ipsis initus est illicitus, Sponsalia de futuro autem etiam invalida, cum obligatio ad illicitum nulla detur, juxta *Num. 45.* quo casu proin neque ex praxi Ecclesiae hujusmodi promissiones executioni mandari possunt. Per Matrimonium Sempronii cum Bertha nulla quidem Perillustri Familiae inuritur macula positiva, privatur tamen ista quoad Descendentes à Sempronio, & Bertha aliquo ornamento in Nobilitate admodum aestimabili, scilicet capacitate ad Canonicatus in Ecclesiis Cathedralibus Germaniae, & sic affricatur ipsi macula quaedam negativa, quam Familiae Nobiles tali praeogativa insignes ita cavent, ut saepe Nobilis cum Barone, & Baro cum Comite, hac praeogativa destituto, jungi renuant. Ex quo patet, quod licet Bertha sit Baronissa, sicut Sempronius Baro est, nihilominus inter eos talis sit inaequalitas, ut ex hoc capite Sempronius à Nuptiis cum Bertha ineundis potuerit absterri prudentissimè. Si autem prudentissimè ratio ista potuisset absterri Sempronium à contrahendis cum Bertha Sponsalibus, ob eandem rationem Domina Mater prudentissimè negat suum Consensum. Et haec ipsa ratio probat, ad discordias per ejusmodi Nuptias facilem parari viam; nam imprimis si indignante Domina Matre, & Propinquis Nuptiae à Sempronio inirentur cum Bertha, nascentur inde discordiae inter novos Conjuges ex una, & Dominam Matrem, ac Propinquos ex altera parte, quae si continentur, ut merito ex constanti renitentia timendum est, cum Filio difficile sit ferre indignationem Parentum, & Propinquorum, displicere incipiet paulatim Conjug, quae tantae indignationis fuit occasio, displicentiã semel occupante animum, non difficulter sequetur aversio, & ex aversione diffidia. Sed quidquid de his diffidiis sit, haec sola ratio, quod adversus tale Matrimonium Domina Mater possit esse rationabiliter, & graviter invita, probat Sponsalia vel esse invalida ipso Jure, si nempe sint inita absolutè, vel saltem imbibitam habeant conditionem, *Si Mater consenserit*: quod est ipsa Responso ad *Questionem data.*

51.

Ad 4. Esto, quod recenter adlecti Illustrum, & Nobilium Ordini capaces sint Dignitatum, & Officiorum Politicorum, quod tanquam Commembra admittantur ad Corpus Equestre Immediatæ Nobilitatis

Imperii, quodque in hujus Conventibus, & in ipso Consilio Imperiali Aulico sedeant non secundum Antiquitatem Nobilitatis, sed receptionis, praeterea maximum Familiarum Nobilium ornamentum est capacitas ad praecipuos Germaniae Canonicatus Cathedralis, ex qua capacitate, qui praeogativa hac gaudent, non solum consequi Canonicatus hos possunt, sed etiam spem habent ascendendi ex istis ad ipsas Praeposituras, Episcopatus, & Principatus S. R. I. maximo sane Familiae totius Splendore, commodo, & incremento: quae praeogativa sicut plurimi aestimatur in Nobilitate, ita merito in Familiis, quae istam habent, curã sollicita custoditur, ut propterea Parentes justissimam causam habeant resistendi Filiorum Nuptiis, per quas decus hoc perderetur. Verum est quidem, quod etiam non antiqui Sanguinis consequi Canonicatus ejusmodi, si Doctoratus, aut Licentiae Gradu insignes sint, possint. Sed imprimis ex Nobilibus pauci sunt, qui Gradus hos presentent: deinde in aliquibus Ecclesiis Cathedralibus, nominatim in Eystettensi, nulli admittuntur solo Doctoratus, vel Licentiae titulo: denique etsi Pontifex, si plenitudine potestatis uti vellet, in Mensibus sibi propriis vacantes Canonicatus hujusmodi non antiqui Sanguinis Nobili Gradu Doctoratus insigni, conferre posset, tamen non solet hos aliis conferre, quam qui qualitates secundum cuiusque Ecclesiae Statuta, & Consuetudinem requisitas habent, prout notavi

Ego ad libr. I. Decret. tit. 14. n. 34. in fin.

Quod additur, contemptas se credituras Familias non ita antiqui Sanguinis, si his per Matrimonium jungi antiquiores nolent, est contra praxin ubivis usitatam, juxta quam ex antiquiori Nobilitate prognatis satis est ad recusandam aliquam Sponsam, si oriunda sit ex Familia nondum admissibili ad Canonicatus Cathedralis, quin tamen per hoc Recentiores Familiae contemptas se credant: multò minùs Imperatori, vel Principi, qui Nobilitatem eis concessit, probrosam videtur, si illa capacitem, & praeogativam istam cogantur consequi multorum annorum lapsu.

Ad 5. Cum in Lege illa Gallica se non fundet valor Sponsalium hoc Casu contrahentium, sed in sola rationabili renitentia Dominae Matris, quae justissimè, & prudentissimè recusat Nuptias, quarum Contractu amitteretur decus capacitatis ad Canonicatus, idcirco non est, quod ulterius addam. Dico ergo, ob hanc solam causam prudenter, & graviter posse esse invitam Dominam Matrem ad Nuptias meditata: ex quo sequitur, quod Sempronius non potuerit licitè, & validè promittere has Nuptias Berthae, nisi sub conditione, si

Si Domina Mater consenserit : adeoque Sponsalia ista erunt implicite conditionata.

QUÆSTIO II.

An Sponsalia Quæstionis, si valida illa per se, & ipso Jure sint, implorata Judicis Ecclesiastici Auctoritate rescindi possint ?

53.
Rationes
Dubitandi.

Videntur non posse rescindi Sponsalia ista, sed his Sempronium firmiter obligari : quod Pars adversa probat 1. Quia si quis evolvat Canonistas, etiam Germanos, de Causis, ex quibus ob Parentum, aut Propinquorum displicentiam dissolvi possint Sponsalia, scribentes, vix aliquem inveniet, qui disparitatem in Nobilitate quoad solam temporis Antiquitatem (nisi in Pactum expresse deducatur) pro sufficiente agnoscat : cum ergo Bertha non tantum non sit plebeja, sed etiam Nobilis, imò Perillustri Baronissa, sicut Sempronius Perillustri est Baro, tanta non est distantia, quæ ad Sponsalium valorem, aut effectum sufflaminandum sufficiat ; quia ut scribit

Reiffenstuel ad tit. de Sponsal. n. 276.

Sponsalia inter eos, qui non multum, nec notabiliter inæquales sunt, non attentâ Parentum resistentiâ, non tantum non impediti, sed etiam ab Ordinariis promoveri debent per remissionem Denuntiationum, si illa ad Matrimonium securius contrahendum sit necessaria.

54.

2. Nihil unquam negotii fuit Sponsæ, & Parenti istius cum Matre Sponsi, aut Consanguineis istius, sed habet illa obligatum sibi Sponsum ipsum, jam Majorem, solutum Patriâ, & quacunq; alia potestate, ex Contractu mature antea considerato, & liberè, ac solenniter inito, in quo cum liberrimi esse debeant Contrahentes, præsertim Majorem adesti, nihil habent Parentes, aut Consanguinei, quod opponant : & licet omnino deceat Parentum consilium exquirere Filios, qui Matrimonium inire cogitant, satisfaciunt tamen Filii, si illum flagitent, quamvis non impetrent, præsertim si hic negetur ob causam non legitimam, qualis in Casu præsentis est imaginaria illa, quam Consanguinei Sponsi usurpare volunt, antiquioris Sanguinis prærogativa, quæ ideo terrere non debet, quod circa constituendos Nobilitatis Gradus discernendi potestatem sibi soli reservaverit Imperator, qui proinde sicut beneficio suo dignitatem Baronis Imperii Domino Parenti Sponsæ dedit, ita illam tanquam munus suum, vel saltem Majorum suorum tueri non dedignabitur.

55.

3. Sempronius, antequam obligationem Sponsalium contraheret, probe fuit instru-

ctus, quoto Gradu sua Nobilitas præstet Nobilitati Sponsæ, & nihilominus intrepidè contraxit, atque ita renuntiavit Juri propter hanc inæqualitatem reclamandi contra Sponsalia à se inita. Igitur difficulter admodum Sponsalium istorum cum prævia hac scientia contractuum rescissionem ex causa inæqualitatis impetrare poterit ; nam ut monet

P. Conrad. Vogler de Sponsal. D. 3. sect. 9. n. 17.

ferè regulariter allegantur causæ, quæ præcesserunt Contractum, moventque ad penitentiam Sponsos, sed re jam non amplius integrâ, & ideo tardius, quam par erat, in considerationem adductâ : quæ causæ ideo non audiuntur, nec attenduntur in Judicio ; quia causâ, quæ præcessit, non præsumitur prorsus ignorata, sed neglecta. Et ideo mirum non est, Tribunalia Ecclesiastica in causis ejusmodi pro Sponsalibus stare : id quod maxime ostendit praxis, quo Nobilis contrahit cum ignobili, ubi exceptionem de defectu Nobilitatis opponens post Contractum Sponsalium, non auditur. Igitur neque audiri debet, quando allegatur, quod femina non sit tam antiquæ Nobilitatis, quam necesse foret, ut proles inde nascitura olim apta sit Canonis Germaniæ ; cum enim diligenter inquiri solet in tales qualitates Sponsæ ante Contractum Sponsalium, præsumuntur illæ non ignoratæ, sed neglectæ.

52

4. Sempronius neque ante, neque post Contractum Sponsalium quidquam meminit aut oretenus, aut in Literis ad Bertham, ejusque Dominum Parentem datis, quod de Materno, aut Fraternali Consensu dubitet, aut contradictionem ob inæqualitatem Stemmatibus apud Dominam Matrem, Dominum Fratrem, aut alios timeat, vel aliunde periculum annullandi, aut irritandi Sponsalia lubet, ad quod tamen absque dubio fuisset obligatus

56.

Arg. l. Julianus. 13. ff. de act. empr. Gobat Theol. Exper. tract. 10. Cas. 9. n. 367. Reiffenstuel ad tit. de Sponsal. n. 301.

Et hinc non tantum Sponsa, ejusque Parentes nihil mali suspicati, Dispensationem super Denuntiationibus obtinuerunt, cæteraque ad Nuptias festivè celebrandas, pararunt, sed etiam, ut dicitur, duo alia Matrimonia, eidem Sponsæ interim oblata, ab ea in gratiam Sempronii fuerunt repudiata. Volens igitur post Festum, ut ajunt, ac re non amplius integrâ, à fide solenniter data recedere, non poterit hoc facere, quin Sponsam simul, & Parentes graviter contristet. Imò

57.

5. Si à Sponsalibus contractis à Sempronio recedatur, recessus iste gravissimas post se sequelas habet ; nam hoc modo enormis ignominia infertur Familiæ Perillustri, ex qua oriunda est Sponsa : illuditur, & ludibrio habetur Regii Ducis Lotharingici, qui Sponsum in paucis inter primarios Aulicos

spe hujus Matrimonii assumpfit, dignitas: substantur, quos Sponsalium Contractui testes adhibuit, Regiæ Lotharingicæ Aulæ Purpurati: prostituitur ubique locorum fama Virginis Perillustris, corporisque dotibus nemini secundæ: profigatur, atque evertitur pro omni deinceps vitæ tempore ejus fortuna: auferuntur in posterum omnes aliæ Nuptiæ; quis enim ei par appetet jam aliquando à Sponso Sempronio Ipretam, & perfusam, ac fugillatam æviterno pudore? Abstrahetur illa eam ob causam miserè, & crudeliter à consortio hominum per summam ignominiam, quam cæde, & sanguine (ita in suis Dominus Parens Sponsæ) si alia non suppetant, expiare intendit. Certè si à fide data ita leviter recedere posset Sempronius, exemplo suo Monachos, & Moniales doceret fidem DEO datam frangere, & à Votis suis Religiosis se liberare. Sicut ergo hujusmodi causæ ad rescindenda Vota Religiosa non sufficiunt, ita neque debent sufficere ad recedendum ab obligatione Sponsalium. Nam

58.

6. Cum recessu isto gravissimè damnificetur Sponsa, ejusque Familia Perillustris, Sempronius ex Justitia obligabitur ad damna ista tollenda, & quidem per ipsum Contractum Matrimonii, cum iste videatur esse unicum medium ad illa tollenda aptum. Posset quidem Sempronius opponere, etiam sibi ex Contractu Matrimonii imminere damna admodum gravia, dum ex diffensu Domine Matris, ac Domini Fratris non vanè timet, ne si his invitis Matrimonium contrahat, suo tempore ab hujus, & illius hereditate excludatur: quæ juxta plures est causa se solâ sufficiens ad Sponsalia, legitime colligata, dissolvenda. Sed imprimis Domina Mater Legitimam Portionem non potest Sempronio ex hac causa subtrahere. 2. Idem Sempronius ex hereditate Paterna jam acquisivit congruum, & honestum Patrimonium, ita, ut non difficulter carere possit emolumento illo, quod ultra Legitimam ex Materna hereditate sperare potest. 3. Metus ex hereditationis in tota, vel notabili quantitate hereditatis esset quidem causa sufficiens, cur à promissione Sponsalitia posset resilire Bertha, non verò Jus revocandi illam dat Sempronio, si Bertha executionem Sponsalium urgeat, ex communi illa doctrina, juxta quam pars mutationem passâ non habet exceptionem contra suam partem, sed hæc contra illam: & ideo cum Bertha, insuper habitis omnibus, quæ ratione successione in maternis, vel fraternis Bonis timenda, aut suspicanda sunt, Sempronium ducere, & Sponsalitam Promissionem implere intendat, Sempronio haud licebit contraria Exceptione se defendere.

59.

7. Denique ex Argumentis hucusque propositis dubium saltem est, num in præsentibus suffragetur justa causa resiliendi à Sponsalibus certis, ac cum omni solennitate celebra-

tis; cum enim causa hæc dependeat à futuris, & planè incertis contingentibus, puta, quod Sempronius sit procreaturus numerosam prolem, eaque juxta decemiam Perillustris Familiæ neque in Statu Ecclesiastico promoveri, neque etiam in Matrimonio collocari possit, qui eventus est valde incertus, cum possit contingere, ut Sempronius vel nullos suscipiat Liberos, vel si nascantur illi Liberi, iterum moriantur, aut in tali numero existant, ut vel ad Beneficia Ecclesiastica per Preces Primarias Imperatoris, aut Provisionem Apostolicam, vel saltem ad Officia Sæcularia tum militaria, tum Civilia cum honore, & gloria Familiæ promoveantur, non apparet, quomodo Jus certum, quod ex Sponsalibus quæsitum est Berthæ, ipsi adimi, & ea Sponsalia à Judice Ecclesiastico rescindi possint contra Regulam Juris

c. in pari. 65. de R. J. in 6.

cum de futuris contingentibus ne quidem in Jure admittitur determinata veritas,

Arg. l. si putatur. 31. ff. ad Leg. Aquil.

Cyriac. Contr. forens. 599. n. 26.

& illius, quod à futuro pendet, nulla sit habenda ratio,

per l. is damnus. 169. §. 1. ff. de R. J.

Cyriac. l. cit. n. 27.

Nec certi ad incertum ulla intercedat proportio:

Gloss. in l. Stichus, §. fin. V. non comparat.

ff. de Stat. liber.

sed potius tenendum sit certum, incertum verò dimittendum,

Arg. c. si quis. 4. fin. de Penit. dist. 7.

maximè à Judice, qui super incertis neque Decretum potest interponere,

juxta l. non quemadmodum. 35. ff. de Judic.

neque in re dubia certam Sententiam ferre.

c. grave. 74. caus. 11. q. 3.

utpote cum etiam, quæ vera sunt, & certa in se, nisi tamen certis indicibus demonstrantur, non sint credenda à Judice.

c. quamvis. 75. caus. 8. q. cit. Cyriac.

Controv. 380. n. 83. & seqq.

Multò minus licebit Parti, invitâ Parte alterâ, ex tali causa incerta propria auctoritate, & sine Judicio Ecclesiæ recedere.

Sanch. de Matrim. l. 1. D. 69. num. 3.

Engl. ad tit. de Sponsal. §. 3. num. 12.

König ibid. n. 80. Clariff. P. Schmier

Jurispr. l. 4. tract. 1. c. 5. n. 17.

quia in dubio nec sibi Jus quis dicere, nec alteri Jus suum auferre permittitur. Sed

contra hæc

DICENDUM, Sponsalia, in Casu præsentis inter Sempronium, & Bertham contracta, saltem auctoritate Judicis Ecclesiastici rescindi posse. Deduco Responsum istam

ex Regula communiter recepta, juxta quam

Qualibet causa de novo superveniens Sponsalibus, vel etiam primum post Contractum eorum

cognita ab altera parte contrahentium, quando

talis

60

Ratione

decidit

talis illa est, ut ob eam quis merito, prudentis approbatione, si à principio extitisset, aut cognita fuisset, abstinuisse ab huiusmodi Sponsalibus contrahendis, ad ea solvenda sufficit. Ita cum communi

Tanner. tom. 4. D. 8. q. 1. n. 69. Sanchez l. 1. de Matr. D. 62. & 63. Coninck. tom. 2. in 3. p. D. 23. dub. 8. Laym. l. 5. tract. 10. p. 1. n. 18. & 19. Gobat Exper. Theol. tract. 10. n. 293.

In re, & sensu concordat hæc altera: Quoties in Sponsalibus superaccidit aliquid, quod eorum executionem reddit notabiliter difficiliorum, quodque si initio fuisset, cordatum, seu prudentem hominem similis conditionis ab illis avertisset, toties cessat obligatio illius, cui difficultas redditum est Matrimonium. Ita

Coninck dub. 8. cit. n. 65. Tambur. tr. 3. de Matr. c. 5. §. 8. n. 1. Dicast. D. 1. dub. 11. Gobat l. cit. num. 310. atque alii plures.

Concordat etiam brevissima illa, quam ex Sylvestro, Armilla, Angelo, Soto, Antonino, Majore, Henriquez, & Sanchez proponit idem

Coninck n. 64.

his verbis: *Una pars potest resilire à Sponsalibus, quoties aliquid supervenit, quod ei contractum Matrimonii reddit notabiliter difficiliorum: adeoque omnis mutatio superveniens simul, & reddens Matrimonium notabiliter difficiliorum, quam erat ante illam mutationem, dat parti illi, cui est redditum difficultus, potestatem transeundi ad aliud conjugium. Atque hinc*

Gobat l. cit. n. 299.

infert, si Sponsus sincerè dicat, *Fateor quidem, quod sanctè promiserim Matrimonium Bertha; at nequaquam putabam, illam esse adeo pauperem e.g. uti nunc deprehendo: quod si habuisssem compertum, nemo me adduxisset ad dandam ipsi fidem Matrimoniale; in hoc casu, inquit Gobat, non tenetur ducere Bertham in foro conscientie. Imò etiam in foro externo Judex hoc asserenti credet, quando, consideratis omnibus circumstantiis, existimaverit, illum, si compertam habuisset eam paupertatem, nequaquam fuisse consensurum in connubium. Ita*

Sanch. l. 1. de Matr. D. 62. Filiucius tr. 10. p. 1. num. 292. Gobat l. cit. num. 300.

61.

Subsumo: atqui in Casu præsentis i. Sponsalibus à Sempronio contractis cum Bertha supervenit gravissima circumstantia per hoc ipsum, quòd postquam Sempronius, prout debuerat, iteratis precibus, & adductis validissimis, & quibusvis excogitabilibus rationibus à Domina Matre, & Propinquis consensum petiit, istum non tantum non obtinuerit, sed propterea etiam gravissimam indignationem incurrerit, ita, ut temerarium videatur vel verbum de Consensu super futuras Nuptias dando apud Dominam Matrem facere, quippe quem perpetuò denegan-

dum in posterum se pluries, etiam cum interminatione exheredationis declaravit. 2. Hæc resistentia Domine Matris, & Propinquorum juncta cum adeò gravi, & perseverantia indignatione merito apud quemlibet Filium morigerum tantum esse debet, ut merito à Nuptiis, quas Domina Mater, & Propinqui sic avertantur, contrahendis absterreat. 3. Sempronius in Literis suis sincerè fatetur, se, si præcivisset tam constanter Dominam Matrem, & Propinquos fore invitos circa Matrimonium ab ipso contrahendum cum Bertha, nunquam cum illa contracturum fuisse Sponsalia: consequenter juxta dicta sub finem Num. præc. in foro interno, ubi solius Penitentis assertioni creditur, non tenetur implere promissionem Sponsalitiæ. 4. Hoc ipsum, quòd consideratà hac resistentiâ, & indignatione, Sempronius non fuisset Matrimonium Berthæ promissurus, in foro externo est summè credibile, tum ex summo amore, & veneratione, quâ Sempronius semper profecutus est suam Dominam Matrem, & ob quam non creditur intendisse Matrimonium cum Bertha cum adeò gravi indignatione Domine Matris, tum quia universim Filiis gravissimum & difficillimum est compelli ad aliquid, quo factò Parentes, & Consanguineos sibi implacabiles futuros prævideant, ut adeò neque in foro externo idem Sempronius, his omnibus consideratis, videatur cogendus à Judice ad standum Promissioni, ejusque impletionem.

Confirmatur 1. Indignatio gravis, & constans Parentum, & Propinquorum Filio morigero sufficientem dat causam non contrahendi Matrimonium, ex quo prævidet securam ejusmodi indignationem, saltem casu, quo indignatio hæc à Parentibus, & Consanguineis est prudenter suscepta; nam eo casu juxta dicta ad Quæst. præc. Promissio Sponsalitiæ vel est omnino nulla, vel implicitam Conditionem habet, *Si Parentes, & Consanguinei consentiant.* Imò licet Parentes, aut Consanguinei imprudenter, obstinate tamen futuris Nuptiis se opponant, ita, ut ex his magna scandala, & infelices exitus timeantur, recedi à Sponsalibus contractis potest, prout cum aliis docent

Tann. tom. 4. D. 8. q. 1. n. 67. Coninck D. 23. dub. 8. n. 68. Laym. l. 5. tract. 10. p. 1. c. 2. n. 8. Palao tract. 28. D. 1. p. 27. n. 7.

Atqui in Casu præsentis adest huiusmodi gravis indignatio; videt enim Sempronius Dominam Matrem, & Consanguineos gravissimè invitos, & si insistere velit meditati Nuptiis, reconciliationem illorum fore admodum difficilem, imò nunquam sperabilem, cum post tot jam factas submissiones, impetrare Consensum nullatenus potuerit; videt præterea periculum esse, ne si continetur hæc Mater, & Familie Perillustri indignatio, Sponsam contra istorum voluntatem ductam non tantum sit averfatura Familia

62.

milia Perillustri, sed etiam ipse Sempronius, utpote quam causam videt esse tam gravis in se indignationis, ut adeo merito timeri mali exitus ex hoc Matrimonio debeant. Consequenter prudentissimè poenitere potest, & præoptare magis amantissimæ Dominæ Matri, & Illustrissimæ Familiæ reconciliari, quam copulari electæ Sponsæ.

63.

Confirmatur 2. Si Sempronius inæqualitatem Nobilitatis inter se, & Sponsam ignorasset, vel post cognitam suæ Dominæ Matri, & Familiæ contradictionem Sponsalia prius inita non ratificasset, sed reclamasset, certum, & indubitatum foret, quòd tunc vitio verti eidem poenitentia non posset, & sic saltem à Judice Ecclesiastico ab obligatione absolvendus fuisset, ob prudentem præsumptionem, quòd si unum, alterumve statim ab initio Contractus scivisset, is vel ob gravem offensam amantissimæ Dominæ Matri, vel ob inæqualitatem avitæ Nobilitatis, utpote in Germania valde æstimabilis; minimè consensurus fuisset. Atqui hoc ipsum præsumi de Sempronio potest etiam post inita cum scientia inæqualitatis dictæ, & ratificata post notam indignationem Matri Sponsalia; vel enim non ponderavit satis ibi Nobilitatis avitæ pretium, vel certe sperabat ab amantissima Domina Matre, & ab Illustrissima Familia Consensum, aut saltem non credebat, dissensum, & indignationem fore adeo constantem, & diuturnam, prout tamen modò non sine maxima animi sui afflictione experitur, hincque non vanè sibi, suæque Sponsæ, si eam duxerit, præter damnum satis notabile Liberos, & Familiæ, ominatur perpetuam indignationem, contemptum, vilipensionem &c.

64.

Confirmatur 3. Per Argumentum à minori ad majus ex doctrina

P. Gobat *Theol. Exper. tr. 10. n. 309.*

juxta quem in casu, quo Sponsus etiam plebejus cognoscit, sponsam suam natam esse ex Patre Spurio, & periculum prævidet, filios ex ea nascituros non admittendos ex Statuto Patriæ ad plura Officia, vel Opificia, Judex meritò induci potest ad pronuntiandum pro decreto; quia Irregularitas hæc, ut ita dicam, sanè continet malum notabile, magnòque pretio æstimabile. Idem dicit Author loco allegato, quando periculum est non acquirendi Officinam paternam, quæ tamen certò sperabatur à Sponso; nam hoc periculum putat esse sufficiens ad resiliendum à Contractu Sponsalium, si quis prudens judicaturus esset, eum non daturum fidem conjugalem, nisi sperasset illam tabernam: atque hoc deducitur ex Regula *Num. 60. data.* Atqui majus bonum est capacitas ad præcipuos Canonatus Cathedralium Ecclesiarum, & majus malum est indignatio Parentum, & Familiæ propriæ constans, & difficulter vel nunquam reconciliabilis, quam in Casu nostro experitur, & in futurum timet Sempronius. Ergo pari ratione, & ex

eadem Regula justam causam resiliendi à Sponsalibus contractis habet.

Neque contrarium efficaciter probant Argumenta à *Num. 53. allata.* Ad 1. Pro causa resiliendi justa non affertur inæqualitas Nobilitatis, sed occasione istius negatus Consensus Dominæ Matri, & Propinquorum, quam causam pro justa agnoscit

Menoch. *Conf. 786. n. 16. & 26.*

ubi dicit posse Sponsum ob solum dissensum Parentum resiliere à Sponsalibus: quod verum existimat

P. Gobat *l. cit. n. 331.*

si hunc dissensum secutura sint gravia incommoda, ut sunt verbera, diminutio Hereditatis, perpetua, aut valde diuturna Parentum offensa: & ita respondisse se dicit idem Gobat 7. Nov. 1664. In præfenti Casu non solum simpliciter adest dissensus Dominæ Matri, & Propinquorum, sed insuper indignatio gravissima cum minis exhæreditationis, neque speratur hæc adeo facile concilianda, imò timetur, ut hæctenus ostensum est, tristes paritura exitus, ita ut prudenter præsumi possit, neque Bertham velle, aut velle rationabiliter posse, ut Sempronius cum tanta indignatione Familiæ suæ Matrimonium cum ipsa contrahat, cum tandem indignatio ista etiam in ipsius Berthæ perpetuam desolationem, & afflictionem redundatura esset.

Ad 2. Quid de necessitate Consensus Parentum ad Nuptias Filiorum sentiendum sit, patet ex dictis *ad Quæst. præc. maxime Num. 50.* Ad id, quod additur, solum Imperatorem reservasse sibi potestatem decernendi circa constituendos Nobilitatis Gradus, verum est; sed hic potestatem istam nec Sempronius, nec Familia illius Perillustri sibi arrogat, cum tantum faciat, quod ubique inter Nobiles aviti Sanguinis fieri solet, ut scilicet capacitas ad Canonicatus in ipsa conservetur, quod proinde non indignè feret Augustissimus. Cæterum fatetur Sempronius, quòd liberè, & iteratò quidem Berthæ Matrimonium non solum promiserit, sed etiam, ut ex Literis ad Berthæ Dominum Parentem datis liquet, paratus hæctenus semper fuerit ad Promissionem hanc suam actu ipso implendam; quia tamen Domina Mater cum Consanguineis extreme sese opponit, ita, ut, sicut jam dictum est, Consensus eorum nullo unquam tempore sperabilis sit, neque appareat, quomodo in gratiam à Domina Matre recipiendus iterum sit, si Sponsalium executionem urgeret, iniquè ferri non potest à Bertha, & ejus DD. Parentibus, si ex hac causa resiliat, cum ex circumstantiis se aperiant, quas si prævidisset Sempronius, nunquam cum Bertha Sponsalia contracturus fuisset, adeoque defendetur Regula communiter recepta, & allegata *Num. 60.* Neque obstat, quòd in aliis Contractibus onerosis non debeat admitti hæc Regula; nam Promissio Matrimonii, utpote vincit

vinculi indissolubilis, requirit majorem libertatem, quam alii Contractus, & quisque contrahens Sponsalia censetur secundum communem aliorum suæ conditionis hominum intentionem contrahere, nisi de contrario constet, & consequenter tacite excipere illum casum, quem communiter omnes, qui ejus sunt conditionis, prævisum exciperent, ut cum aliis notat

P. Gobat *tr. 10. cit. n. 310.*

67. Ad 3. Scivit quidem Sempronius, dum Sponsalia facta repetit, quod Familia Berthæ nondum admittatur ad Canonicatus Germaniæ, & quod ob hanc causam Domina Mater, & reliqui Consanguinei repugnent Sponsalibus ab ipso cum hac contractis, nescivit tamen, nec speravit tantam indignationem, quantam defacto experitur sibi ex facto suo apud Dominam Matrem, & Consanguineos conciliandam, cum speraret, eam non fore perpetuam, nec ita implacabilem, sicut nunc videt, sed consideret eos sibi placandos aliquando, nec perpetuo indignaturos, ut adeo perdifficilis, imò impossibilis ipsi accidat Promissionis impletio, ac propterea firmiter credat justissimam se habere causam, quæ ipsi suadeat, ut facta Sponsalia revocet, & ipsam Bertham à Repromissionis sibi factæ obligatione liberet.

68. Ad 4. Antequam sufficienter innotesceret Sempronio, quod Consensus Domine Matris, & Consanguineorum sperari non possit, & timenda merito sit indignatio illorum perpetua cum aliorum plurium malorum sequela, non potuit monere de periculo annullationis Sponsalium, cum eo usque speraverit Consensum se obtenturum: & hinc eâ spe ductus, etiam postquam prima, & altera etiam vice Consensus negatus ipsi est, quia putabat renisum, & indignationem adeo constantem non futuram, adhuc ratificavit Sponsalia. Ubi verò desperandum esse vidit de impetrando Consensu, statim certiore de hoc fecit Sponsam, & Parentes illius. Unde si præparatio ad futuras Nuptias, & recusatio duplicis Matrimonii Berthæ aliunde oblata facta est, postquam Sempronius monuit, quod Consensus Domine Matris sperari nequeat, sibi imputare debet Bertham, quod spe Nuptiarum cum Sempronio recusaverit duplex hoc Matrimonium, & Parentes, quod sumptus istos in Nuptias, quas sperare prudenter non poterant, fecerint. Si verò hoc factum est, antequam de Consensu desperato ipsos moneret Sempronius, quidquid inde damni secutum est, Casui fortuito est adscribendum, non verò Sempronio, qui officio suo in re ista nequaquam deerat.

69. Ad 5. Per hoc, quod Bertha in Casu præsentis non sit ventura ad speratas Nuptias cum Sempronio, nec ipsa jacturam nominis sui patitur, nec Perillustri illius Familie infertur ignominia; quia qualitas Nobilitatis non admissibilis ad præcipuos Ecclesiæ

rum Cathedralium Canonicatus, ob quam ad Nuptias meditata Sempronii Mater, & Propinqui Consensum dare renuunt, non primum innotuit ex resiliatione Sempronii, ipsaque Bertha is qualitatibus pollere dicitur, ut facile æquales sibi Nuptias etiam stante resiliatione Sempronii, utpote quæ absque culpa ipsius facta est, obtinere possit: potuissetque Bertha interea temporis alibi fortunam suam quærere, si voluisset, cum post renuntiationem à Sempronio factam fuerit ab obligatione libera. Dum ergo istud non fecit, sed diutius expectare voluit, sibi imputare debet, quod passa est, damnum. Adde, quod damnum istud sit longe minus considerabile, quam illud, quod ex Contractu Nuptiarum deberet pati Sempronius, ut ex hæcenus deductis patet. Cæterum Serenissima Aula Lotharingica, & hujus Purpurati, qui ad Sponsalia tanquam testes vocati sunt, facile acquiescent, si causam intellexerint, maxime si illam Judex Ecclesiasticus approbaverit.

Ad 6. Damnum, quod sine dolo, & culpa alterius accidit, inter casus fortuitos connumeratur; Casum fortuitum autem compensare nemo tenetur, nisi ita conventum sit.

C. un. de Commodat. & l. obligationes, 1. §. & ille. 4. ff. de O. & A.

Tale est damnum, quod ex resiliatione Sempronii Bertha patitur: imò tristitia gravis Domine Matris, dissensiones inter Agnatos, contemptus Conjugibus novis à Nobilitate subeundi, & alia mala, quæ ex meditata Nuptiis oritura timentur, multò majora sunt damnis, quæ ex impeditis Nuptiis subeunda sunt Berthæ, quippe cui post causam impedimenti detectam salva manebit fama, & spes potiendi aliis Matrimonii.

Ad 7. In dubio, quando id, habito examine, vinci non potest, potius contra Sponsalia de futuro, quam pro illis est judicandum, tum quia Jura proniora sunt ad liberandum, quam ad obligandum.

L. Arianus. 47. ff. de V. O.

Tum quia Matrimonia coacta, & nolentibus imposta solent habere funestos, & difficiles exitus.

C. requisivit. 17. de Sponsal.

In quo dispar est ratio Matrimonii; nam de hujus valore si dubitetur, non pro libertate, sed pro Matrimonio standum est.

Engl. tit. de Sponsal. §. 2. n. 11. Wiestner ibid. n. 37. Clariff. P. Schmier de Sponsal. p. 1. c. 3. n. 86.

Quare his omnibus consideratis, quæ hæcenus deducta sunt, judico omnino, sufficientissimam adesse causam, ut ad instantiam Sempronii Sponsalia contracta rescindantur: imò in Casu præsentis rescissione opus non erit, cum, ut *Num. 47.* dixi, sint conditionata, sed sufficiet declarari nulla esse propter desperatum eventum conditionis, scilicet Consensum Domine Matris, & Propinquorum. Et ex hac ratione etiam opus non

M m m

erit,

70.

71.

72.

erit, ut Sempronius conditionis hujus eventum diutius adhuc expectet; cum enim Consensus prudenter sperari nequeat, vel si spes aliqua adest, ea valde remota sit, expectare autem tamdiu, tam Perillustri Sponso, quam Perillustri Sponsæ sit difficillimum, non erit obligatio tamdiu expectandi. Imò sunt, qui

cum Angel. *V. Matrimonium. 3. imped. 3. n. 2.* Rosell. *V. eod. 5. n. 4.* Sot. *in 4. dist. 29. q. 2. art. 3. §. rogas autem.* Sanch. *l. 5. de Matr. D. 7. n. 9.*

volunt, sufficere, si Pater primò disenserit; tum enim jam posse eum, qui sub conditione Consensus Paterni contraxit Sponsalia, ab his recedere.

73.

Utrum verò ad ita recedendum à Sponsalibus autoritate Judicis Ecclesiastici opus sit, inter se dissident DD. Communior distinguit, an causa resiliendi sit certa, an verò dubia. Si certò justa sit, negant autoritatem Judicis, tecluso speciali Jure, per se necessariam esse; affirmant, si dubia sit sive de Jure, & quoad sufficientiam, sive de facto, & quoad existentiam. In Casu præsentis satis liquet de sufficientia causæ ex hætenus deductis; quia tamen in Diocesi C. ubi, si lis contra ipsum intentari velit, conveniri debet Sempronius, Statuto cautum est, ut non discedatur à Sponsalium Contractu sine autoritate Judicis, & quia sic melius evitantur lites inter unam, & alteram familiam, ex qua Sponsi sunt oriundi, omnino consultum est adhiberi Judicis autoritatem: consultò tamen Sponsus expectabit ex pluribus causis, usque dum moveatur ipsi lis à Bertha, vel ejus Parentibus.

QUÆSTIO III.

An Sempronius, à Sponsalibus cum Bertha contractis recessurus, eidem Bertha, ejusque Parentibus ad aliquam Satisfactionem, & Compensationem teneatur?

74.

Rationes
Dubitandi.

Videtur, non posse Sempronium, invitâ Berthâ, resilientem à Sponsalibus cum ipsa contractis absolvi ab omni Satisfactione, & Compensatione; nam juxta multorum opinionem etiam ille, qui ex justa causa, & sine culpa à Sponsalibus resilit, expensas, & damna, inde secuta, refarcire obstringitur.

Arg. l. si pecuniam. §. ff. de condit. caus. dat. caus. non secut.

Atqui ex hoc, quòd Sempronius resiliat à Sponsalibus contractis cum Bertha, complura damna orta sunt Berthæ, ejusque Parentibus ob expensas in futuris Nuptias, & præparamenta ad illas. Nam 1. Sponsæ Paren-

tes jam omnia, quæ splendidis hujusmodi Nuptiis conveniunt, magnis sumptibus paraverunt.

2. Lunevillæ Dominus Parens pro futuris Conjugibus conduxit habitationem, eamque suppellectile exornavit, quæ jam à multo tempore in promptu est. 3. Idem Dominus Parens eidem Sempronio in gratiam hujus Matrimonii Officium Camerarii eo tempore, quo ultra 40. si non superiores, saltem æquales Sempronio repulsam sunt passi, à Regio Duce Lotharingæ obtinuit. 4. Bertha alias Nuptias æque nobiles, atque opulentas, quæ ipsi post desponsationem, & priusquam illa palam fieret, offerrebantur, neglexit, cum nec ipsa, nec Parentes ipsius inducere in animum possent, ut fidem Sempronio fallerent. 5. Ut eò magis hanc suam fidem Sempronio contestaretur, eadem Bertha, postquam jam inaudit, Dominam Matrem Sempronii nolle consentire Nuptiis cum ipsa contrahendis, etiam indignante sua Domina Matre, recusavit Matrimonium, sibi oblatum à Juvene primariæ Nobilitatis, & magnarum divitiarum. Ut adeò pro damnis istiusmodi, & favoribus ipsi Sempronio exhibitis meritò petatur Satisfactio, præsertim cum in hac re ipse Sempronius non sit omnino innocens, quippe qui in eo saltem culpam habet, quòd ab initio non statim suæ; suorumque personæ statum, indolem, conditionem, intentionem, ac formidandam contradictionem &c. sincerius detexerit; sic enim impedire potuisset, ne ante tempus hujusmodi sumptus, expense, & damna fierent. Neque novum est etiam in Curia Romana ex causa resilientibus à Sponsalibus initis multam imponere, quippe quòd factum est etiam in Casu Lueemensi à me allegato in Deductione 1. istius Calis, Num. 16. Sed

DICENDUM, non posse obligari Sempronium, ut damna, quæ ex rescissis Sponsalibus nata sunt Berthæ, & ejus Parentibus, per aliquam compensationem, vel satisfactionem refarciat. Ratio est, quia non apparet radix, ex qua oriatur hæc obligatio; si enim teneretur Sempronius ad compensationem, vel teneretur ex culpa à se commissa, vel ex Contractu cum Bertha, aut Parentibus illius inito. Non ex Contractu; quia circa compensationem damnorum istorum nihil inter Sempronium, & Bertham, vel ejus Parentes conventum est: & si conventum esset, intelligi conventio deberet de Calu, quo contrahentium aliquis injustè resilit; nam

ut patet ex *c. Gemma. 29. de Sponsal. l. Titia. 134. ff. de V. O. & l. mulier. §. fin. C. de Sponsal.*

Adjectio pænæ conventionalis, quæ etiam justè resilienti solvenda sit, cum libertatem Matrimonii, quæ debet esse maxima, restringat, ipso Jure est nulla, & irrita. Atque hinc

Gobat. *Theol. Experim. tract. 10. n. 267. aperte*

aperte docet, si alteri Sponsorum suppetat
justa & legitima causa recedendi à Sponsali-
bus, non posse alterum quidquam exigere
pro Consensu in illum recessum; quia sicut
par non est, ut quis rem suam emat;

L. sua. 16. ff. de contrah. empr.

ita neque justa causa esse potest Pactio pecu-
nariaria de usu proprii Juris. Unde quan-
do idem

Gobat *tract. cit. n. 179. & seqq. & n. 265. & seqq.*

videtur obligationem aliquam injungere, in-
telligendus est de resiliente sine justa, & legi-
tima causa; ita enim expressè

l. cit. n. 180.

docet, posse Sponsam exigere Compensatio-
nem pecuniariam formaliter ob injustitiam in
se à Sponso admittam, vel admittendam per
iniquum recessum, ut fit in aliis Contractibus.
Imò juxta eundem

Gobat. *n. 182.*

Doctrina ista neque de injustè resiliente est
universaliter accipienda, sed excipi debet
Casus, quo Sponsus refractariè recusat im-
plere Promissionem Sponsalitiã, & si com-
pelleretur ad eam implendam, formidatur
infelix exitus; nam, ut ait Gobat, eadem
rationes, quibus Theologi convincunt re-
fractarium Sponsum non esse compellend-
um hoc casu, ut invitum contrahat, etiam
videntur probare, abstinendum etiam ab
exactione Compensationis pecuniaria, quan-
do metus est illorum malorum; & claudit
denique, si Judex in tali circumstantia re-
pellat petitionem Sponsæ, habiturum Patro-
nos plerosque omnes DD.

76.

Sed neque Sempronius ad damna ista re-
farcienda tenetur ex culpa, vel delicto; quia
cum semper sibi persuaserit, quòd veniam
contrahendi Matrimonii cum Bertha à Do-
mina Matre, & Consanguineis sit obtentu-
rus, ubi verò de Consensu desperavit, statim
monuerit, damna ista non culpæ Sempro-
nii, sed casui fortuito imputanda, conse-

quenter injuriã data non censentur; nam
damnum injuriã datum non dicitur, si nec
dolus, nec culpa intervenerit.

Struvius ad ff. Exerc. 14. thes. 21.

Consequenter, cum Casum fortuitum, utpo-
te quem humanum consilium prævidere non
potest, nemo præstet,

*L. 2. §. si eo tempore. ff. de admin. rer. ad
civit. pertin.*

non erit ratio, quæ Sempronium ad præten-
sa damna refarcienda obstringat: & quidem
meritò; nam refarcitio ista est poena culpæ,
qua damnum datum est. Atqui naturale
jus dicat, quòd poena non sit infligenda
nisi propter culpam.

Atque ex hoc labitur Argumentum con-
trarium *Num. 74.* allatum. Doctrina illo-
rum Doctorum, qui volunt, quòd etiam il-
le, qui ex justa causa, & sine culpa à Spon-
salibus resilit, expensas, & damna inde se-
cuta refarcire teneatur, intelligenda est, quan-
do ita expressè conventum est: quamvis
etiam tunc communem Doctorum Senten-
tiam contrariam habeat ob libertatem Ma-
trimonii, quæ maxima esse debet, per obli-
gationem verò ad poenam, etiam à justè resi-
liente solvendam, restringitur. Mature sa-
tis Sempronius detexit periculum dissolven-
dorum Sponsalium, si illud detexit, quam-
primum advertit desperatum esse Consen-
sum Dominæ Matris, & Propinquorum.
Cum Casu Lucernensi nulla est paritas; cum
enim in Helvetia non multum attendatur in-
æqualitas Nobilitatis inter Sponsos, & hæc
sola allegata fuerit à Sponso, Parentes, qui
propterea sub interminatione exhæredationis
resistebant Matrimonio meditato, non adeò
rationabiliter erant inviti: consequenter
resilienti meritò dictata est poena pecu-
nariaria.

77

Responde-
tur ad Ra-
tiones du-
bitandi.

Atque hoc est, quod SS. Canonibus, &
æquitati congruum esse omnino judico,
sine præjudicio tamen melius len-
tium.

